# LE LIBER DE CARDINALIBUS CHRISTI DOMINI NOSTRI OPERIBUS

*d’Arnaud, abbé de Bonneval*

## Traduction française intégrale — Volume II

*Texte critique latin — pages originales 195 à 292*

*Le texte latin et les leçons de l’apparat sont reproduits sans modification ; les indications anglaises sont traduites dans le guide qui précède le fac-similé.*

# Guide français de l’apparat critique

Les pages qui suivent reproduisent l’édition critique latine sous forme de fac-similé afin d’en conserver exactement le texte, la mise en page, les sigles et les variantes. Les équivalences ci-dessous traduisent les formules anglaises récurrentes de l’apparat. Les remarques éditoriales anglaises plus développées sont traduites ensuite et repérées par le numéro de la page originale.

| Formule dans le fac-similé | Équivalent français |
|---|---|
| See | Voir |
| See also | Voir aussi |
| above | ci-dessus |
| below | ci-dessous |
| E.g. | Par exemple |
| Perhaps | Peut-être |
| with | avec |
| tr. | trad. |
| quoted by / quoted in | cité par / cité dans |

## Traduction des remarques éditoriales développées

**Page originale 199 — 1.3-4 ingenio… studio.** Hugues de Saint-Victor, Didascalicon VII-VIII (PL 176.770). Voir J. Taylor, trad., The 'Didascalicon' of Hugh of St. Victor (New York, 1961), p. 90, n. 49, pour les références à la tradition dont s’inspire Hugues.

**Page originale 204 — 10-11 sed quibusdam nominibus, etc..** Cf. Thierry de Chartres, Lectiones in Boethii librum de Trinitate 11.48 (éd. Haring, p. 170), où l’on trouve le néologisme onitas, cité par Arnaud, Commentarius in Psalmum CXXXII I.v (PL 189.1572A). Cf. aussi Thierry, Fragmentum Londinense contra Euthychen III.63 (éd. Haring, p. 246).

**Page originale 211 — 12.6 paradiso.** Voir ci-dessous VII.3.1 et VIII.6.15-16. Cf. E. Gilson, The Mystical Theology of St. Bernard, ch. IV.

**Page originale 252 — 2.12-15 Quod si… idem est.** Cf. Summa sententiarum VI.ix (PL 176.146B), avec des commentaires dans Luscombe, The School of Peter Abelard, p. 206.

**Page originale 257 — 17-18 A Patre… proficimus.** Cf. Augustin, De libero arbitrio II.iii.7 (trad. G. Madec, BA 6, p. 276, avec une note p. 559 où l’on trouvera des références à Plotin).

**Page originale 265 — 28 palestra.** Voir Jean Cassien, Conlatio XIX.xi.1 (éd. M. Petschenig, CSEL XIII, pars II, p. 545 ; cité par Chr. Mohrmann, « La langue de saint Benoît », Benedicti Regula, éd. Schmitz, p. xxxiii).

**Page originale 276 — 15.5-8 temulentus Ciclops, etc..** Cf. Hyginus, Fabulae CLXVI (éd. P. K. Marshall, BT, p. 131 et suiv.) et Fulgence, Mitologiarum II.xi (éd. R. Helm, BT, p. 51 et suiv.). D’autres références se trouvent dans Apollodorus, vol. II, trad. J. G. Frazer, LCL, p. 90, n. 1.

**Page originale 289 — 4.7-8 Sed ubi… intrauit.** G. Macy, The Theologies of the Eucharist, p. 80 et p. 181, n. 71, avec p. 170 et suiv., n. 193, relève que la question de savoir si Judas reçut effectivement le corps et le sang du Christ fut très débattue au début du XIIe siècle.

*Les titres bibliographiques cités dans l’apparat sont conservés dans leur forme originale, conformément au principe appliqué à la bibliographie générale.*

<DOMINI ERNALDI ABBATIS BONEVALLENSIS

LIBER

DE CARDINALIBVS CHRISTI DOMINI NOSTRI OPERIBVS

QVEM SCRIPSIT AD ADRIANVM PAPAM>

## <EPISTOLA PREFATA>

PL 1609

(1) Solent matres infantulis nuper editis in ipso uite introitu aptare uocabula et ex aliquibus precedentibus uel circumstantibus causis uel ex genere uel ex euentibus inponere nomina, ut in ipsis primordialibus titulis quedam prefigerentur commonitoria ingredientibus uitam, ne nomen esset eis ad ignominiam, si originalis nature traductio a consueto limite deuiaret et a uirtute patrum degenerans indigna successio monstri, non hominis faciem exhiberet. Respicerent potius ad nomina uel officia sua, quorum inspectio honeste conuersationis formam eis infunderet et doctrinam, ut honorificarent naturales causas et rationales disciplinas nec in aliquo elementarias amaricarent dulcedines uel primarias offenderent dignitates.

(2) Non olim tumultuarie uel inconsiderate nomina rebus imponebantur, sed ex quo ad Adam adducta sunt singula, ut uocaret

---

Tit. Addidi. Diui Cypriani Carthaginensis. episcopi. Ad diuum Cornelium papam de Cardinalibus operibus Christi usque ad eius ascensum ad patrem Prefatio e. Haec epistola in P de fol. 95r usque ad fol. 96r inuenitur, penitus seorsum ab Ernaldi opere, et in e aliisque editionibus, in quibus ad praefationem adhibitur, sed in nullis mss. codicibus praeter P.

1.4 titulis] initiis e

5 eis esset e

2.1 Non] Nam e

ea et propria inponeret nomina, prouisum est in populo antiquo et institutum, ut aliqua esset in uocabulis ratio et interpretarentur nomina uitam et exprimerent aliquam persone proprietatem secundum quam uel differret a certeris uel etiam communicaret. Sic in nominibus patriarcharum Abraham, Ysaac, et Iacob magnarum rerum extitere indicia et preloquebantur uentura nec deerat impositoribus nominum secundum sensum suum effectuum certitudo. Aput gentiles etiam non in nominibus, sed in agnominibus postea a uiris illustribus obseruatum est, ut nobilitas generis uel uirtutis gloria posteros illustraret Augusti uel Cesaris titulo succedentem honorare progeniem et imperatorie dignitatis heredes prime originis irradiare fulgoribus. Sic et philosophi et doctores antiqui tractatibus suis nomina prefixere, breui titulo grandis materie latitudinem prelibantes et proprie glorie (preposito nomine suo) prouidentes, ut integritatem operis et laborem auctoris tam stili quam persone in posterum auctoritas conseruaret et facile scripture subtilitas indicaret, si aliqua
PL 1610 manus inuida elegantie tractatuum elimatorum pannum rudem insueret uel nugis suis (quasi sua essent!) que alius laudabiliter dictasset furtiua translatione insereret. Sic in capite libri sui quisque auctorum se posuit, ut et stilus auctori et stilo auctor famularetur et auctoritate altrinseca communis gloria muniretur. Hoc uirorum illustrium preclara meruerunt ingenia et per hec uiuax

---

2.2-3 See Gen. 2.19
6-9 See Gen. 17.5, 21.6, 25.25

---

9 impositoribus] -torius e
15 prefixere] -texere e
23 auctorum] ac- e

eorum fama et gloria indelebilis perseuerat.

(3) Nos uero, qui uix intelligimus que ab eis dicta sunt, sensu et eloquentia omnino eis inpares, si quid aliquando scribimus, indignum titulo iudicamus, ne forte nobilis materia, cuius explanationi studium adhibemus, decoloratam se potius quam ornatam nostra presumptione queratur. Verum quia solent aliquando patres nugis infantilibus arridere et linguis balbutientibus delectari, indulgentiam meretur humilitas, que (quo potest accessu) sublimitatis uestre manibus se porrigit attrectandam, non gloriam mendicans, sed gratiam. Ego quidem nec a meipso neque ab alio quero nomen. Neque enim aliquid me existimo esse, cum nichil sim, quia hoc a uobis maxima supplicatione quesiui, ut non essem quod sum, et humiliter supplicaui, ut ab hac flamma, in qua crucior, me uestra clementia liberaret. Temptaui, si possem (manu uestra me sustinente), honeste descendere, quod, quia non potui urgentibus flammis, non attendi quo prosilirem, dum me uorax incendium non cremaret.

---

3.10-11 Gal. 6.3 (Vg: si quis existimat se aliquid esse cum nihil)

---

3.7 meretur] merere- e
11 sim] sum e, sed sim coni. Pamelius quia] qui e
16 ad fin. e add. Finitur prefatio: et incipit prologus operis sequentis.

INCIPIT PROLOGVS

DOMINI ERNALDI, ABBATIS BONEVALLENSIS,

IN LIBRVM

DE CARDINALIBVS CHRISTI DOMINI NOSTRI OPERIBVS,

QVEM SCRIPSIT AD ADRIANVM PAPAM

PL 1610 (1) Sublimes materie subtilium ingeniorum exigunt tractatores nec facile de artibus recte iudicat, qui artes ignorat. Exercitati in liberalibus disciplinis (simul ingenio conueniente et studio) philosophari possunt et secure aggredi res abditas. Eorumque conatibus se peruiam penetrata exhibet difficultas et enigmatibus enodatis rerum secretarum facies patet, cuius serenitatem uelabat nubes opposita et ueritati superfusa caligo.

---

1.3-4 ingenio... studio. Hugh of St.-Victor, Didascalicon VII-VIII (PL 176.770). See J. Taylor, tr., The 'Didascalicon' of Hugh of St. Victor (New York, 1961), p. 90, n. 49, for references to the tradition upon which Hugh draws.

---

Tit. MT P folio praecedente caret et sic tantum scripsit ad adrianum papam legitur domni arnaldi O operibus christi domini nostri B Incipit prologus ernaldi abbatis boneuallensis in librum de cardinalibus operibus christi domini nostri ad adrianum papam C Incipit prologus sequentis operis arnulphi abbatis boneuallis ad adrianum papam L e supra ad caput epistolae praefatae pedemque titulos exhib.

1.5 per viam e

Ideoque tam in diuinis quam in philosophorum doctrinis nec tutum est nec honestum ineruditos et ignaros sensuum ad litteras illas pertinentium prosilire ad discussionem eorum que nesciunt et de his sibi usurpare magisterium que ignorant.

PL 1611 (2) Huius rei forma, seraphin, faciem dei et pedes uelat et (patentibus que in medio sunt) principium finemque maiestatis diuine alarum extensio infra supraque operiens aditum ad se temerariis tractatoribus uel scriptoribus interdicit. Nec patitur ad liquidum se uideri diuinitas, quam utique inuestigatio fidelis aliquomodo odoratur uel sentit, sed puram eius essentiam nec conspicit nec comprehendit. Affirmatio quippe de dei essentia in promptu haberi non potest. Neque enim diffinibilis est diuinitas, sed uerius sinceriusque remotio indicat negando quid non sit quam asserendo quid sit, quoniam quicquid sensui subiacet, illud esse non potest quod omnem superat intellectum. Quicquid audiri uel

---

2.1-4 Is. 6.2

---

2.1-4 Huius rei forma, etc. See Bernard of Clairvaux, De gradibus humilitatis et superbiae X.35 (LTR, vol. VIII, p. 43).
4 temerariis tractatoribus. Cf. Bernard of Clairvaux, De consideratione V.iii.6 (LTR, vol. III, p. 470).
7-11 Affirmatio quippe, etc. See Theodoric of Chartres, Fragmentum Londinense contra Eutychen III.63, Tractatus de Trinitate 26, & Commentarius Victorinus de Trinitate 99 (Häring ed., pp. 246, 309, 501f.)
9 remotio. Cf. Boethius, Contra Euthychen I (LCL, p. 78); Gilbert of Poitiers, Expositio in Boecii librum contra Euticen et Nestorium I.25 (Häring ed., p. 247).
9-10 negando... quid sit. See Theodoric of Chartres, Lectiones in Boethii librum de Trinitate IV.27 (Häring ed., p. 195).

---

2.1 dei om. L
1-2 et patentibus... medio bis scr. MT, sed prius exp. T
4-5 ad liquidum se patitur O
6 uel post aliquomodo add. C odoratur] odorat e

uideri uel sciri potest, non conuenit maiestati. Hebes est in hac consideratione omnis acies sensuum et caligat aspectus. Hanc inuisibilem lucem et inaccessibilem naturam sex alis hinc et inde seraphin statu et uolatu circueunt et abscondunt, statu eternitatis immobilitatem monstrantes, uolatu uero altitudinem eius sic in superioribus eleuatam, ut quantumlibet ad cor altum homo ascendat, exaltetur deus et comprehensionis importunitatem euadat. Nec tamen ale ille que dei uelant substantiam nostros conspectus diffugiunt, sed ille puris mentibus se uisibiles exhibent et operum dei ratio siue eorum que ex nichilo sunt, siue eorum que ex materia uel facta sunt uel fiunt se intelligibilem exponit et que circa deum et que sub deo sunt mundi potest cordis quoquomodo sinceritas contemplari.

(3) Prima rerum conditio sex instituta diebus fatetur artificem et profitetur opus auctorem. Neque enim sui ipsius artifex esse aut potuit nouam quis creare materiam. Nec potuerunt multa et diuersa rerum esse principia, quia nisi ad unum cuncta respicerent, discordia et infinitate cuncta turbata uoluerentur in

---

17-18 Ps. 63.7-8 (Vg: accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus)
23 Matth. 5.8

---

17-18 homo ad cor [illegible] L
18 et ante exa[illegible] L
20 conspectus] -
22 facta] -te
3.1 conditio] [illegible]
3 potuit aut n[illegible], aut nouam potuit quis L, aut potuit quis nouam e
5 cuncta om. L, fort. recte

chaos et repugnarent et colliderentur in se discordes materie, nisi omnibus factoris auctoritas imperaret et unius monarchia potestatis uniuersitatis causas et efficientias ordinaret. Homo itaque prepositurам in inferiora accepit, sciens quis ei hunc honorem contulerit. Nec tamen ea scientie perfectione illustratus est, ut eo modo cognosceret conditorem, quo eius cognitioni relique creature subiecte sunt, sed distantiam maximam experiretur inter summa et infima et ex hoc ipso esset deo acclinis et humilis, quo auctori suo se in nullo posset conferre, cuius nec effugere dominium nec penetrare consilium nec poterat uitare iudicium.

(4) Itaque qui circa ipsum sunt angelici spiritus, licet inuisibilis nature sint, in legationibus tamen suis se auditu manifestant et uisu et salutis nostre ministeriales sepissime experimur, quorum officia et nomina in scripturis sanctis habentur. Illa quidem superiora agmina nobis predicant, non indicant deum et nuntiant que iubentur, specialitatem iniuncti

---

4.4-5 See Eph. 6.12

---

3.4-6 nisi ad unum, etc. Cf. Ovid, Metamorphoses I.5-20 (LCL, vol. I, p. 2).
8-10 Homo... illustratus est. Cf. Hugh of St.-Victor, De sacramentis I.vi.xiv (PL 176.217B)
4.6 specialitatem. Cf. Isidore of Seville, Etymologiae II.xxv.6 (Lindsay ed., OCT, no pagination).

---

6 colliderentur] re- L in se om. O
8 Homo] Non MT
9 ei om. e
12 maximam] magnam O
13 acclinis] -uis e
14 auctori] ac- MT nec suppl. L
4.3 eos post ministeriales add. L

negotii peragentes, non uniuersitatis explicantes scientiam, quia
PL 1612 ad nos numerus et mensura et pondus refertur. Deus uero his omnibus non artatur, sed excedens omnia et eternaliter antecedens potestas et uirtus nil habet coeuum nec inmensitatis eius profundum ulla creatura uel celestis uel terrena metitur. Que uero sub ipso sunt implent templum et presens ecclesia cognitionem earum rerum assequitur, que ad cultum iusticie, que ad ordinem uite, que ad gradus ascensionum, que ad conuenientiam morum, que ad honestatem huius conuersationis et gratiam pertinent contemplationis. Hec aguntur et exercentur in templo presenti et per hec deus queritur. Nec tamen quesitus ilico inuenitur. Gustamus, delibamus, odoramur et prope est. Cumque accesseris, longius abit. Et quomodo fulgur nubes disrumpit et repentina choruscatio non tam illuminat quam hebetat oculum, ita aliquando nescio quo motu tangeris et tangi te sentis, eum tamen qui te tangit non

---

8 Sap. 11.21 (Vg: mensura et numero et pondere)
11-12 Is. 6.1-2 (Vg: ea quae sub eo erant implebant templum)

---

8 numerus... pondus. Cf. Augustine, De Trinitate XI.xi.18 (Mountain & Glorie ed., CCSL L, p. 355); Cassiodorus, Institutiones II, Praef. 3 & IV.1 (Mynors ed., pp. 89f. , 132f.)
16-22 Hec... intueris. Cf. Anselm, Proslogion XIV, XVI & XVII (Schmitt's Latin-German ed., pp. 106-114).
19-20 Et quomodo... oculum. Cf. Augustine, De Trinitate VIII.ii.3, ll. 28-40 (Mountain & Glorie ed., CCSL L, p. 271).

---

7 negotii] officii O  8 et[1] om. L
11 terrena uel celestis C  11-12 Que uero sub ipso sunt] Quia tantum in textu, sed que sub ipso sunt i.m. exhib. C, Quia que sub ipso sunt B, Ea que sub ipso sunt L
16 in templo presenti et exercentur O
18 odoramur] -mus Le
19 abit] ib- L  nubes fulgur L

intueris.

(5) Dicuntur tibi quedam uerba archana intrinsecus, que effari non sufficis, ut dubitare non possis, quia iuxta te est, immo intra te qui te sollicitat, nec tamen sicuti est se tibi uidendum concedat. Rachel ad odorem, non ad esum Lye mandragoras concupiscit. Tu sponso fide, non complexu coniungeris. Tu spe concipis, donec in te Christus formetur et (deposito pondere huius cadaueris) eiusdem sint puritatis caro et spiritus et renouata natura sobolem immaculatam parturiat. Rachel quippe "uisum principium" sonat. Quod Verbum in principio apud deum suo proprio esse michi non patet, sed quibusdam nominibus deum inuoco et dico: iusticia, ueritas, sanctificatio, caritas; et quero aliquas species uel formas per quas quod sentio quoquomodo intimem. Nam

---

5.4-5 Gen. 30.15
9 Ioh. 1.1 (Vg: In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum)

---

5.4 Rachel... Lye. See Arnold, De donis Spiritus sancti I (PL 189.1592A-B).
8-9 Gregory the Great, Moralia in Iob VI.37 (PL 75.764).
10-11 sed quibusdam nominibus, etc. Cf. Theodoric of Chartres, Lectiones in Boethii librum de Trinitate II.48 (Häring ed., p. 170), where one finds the neologism onitas, quoted by Arnold, Commentarius in Psalmum CXXXII I.v (PL 189.1572A). Cf. also Theodoric, Fragmentum Londinense contra Euthychen III.63 (Häring ed., p. 246).
11-12 aliquas species... intimem. Cf. Theodoric of Chartres, Fragmentum Londinense contra Eutychen III.61 (Häring ed., p. 246).

---

5.2 te om. B
3 se] te e
4 concedat] -dit O ad$^2$ om. O
6 Christus in te e
10 inuoco] e, primam syllabam exp. P, uoco MTOCBL
12 quod] quid e

quod Verbum caro factum est facilius uideo et hoc sensui meo quasi esu incorporo, principium autem illud uix remotissimo odoratu quasi pertransiens sentio. Illa quidem intellectualia per uisibiles creaturas, quantum fas est anime uidere uel preuidere diuina mente, a longe prospicimus. In multis per opinionum et coniecturarum pelagus circumducti, in multis ueritati herentes, in multis magnitudine rerum oppressi exclamamus cum apostolo, O altitudo diuitiarum sapientie et scientie dei! Cordi igitur nostro se offert deus et aliquid sui luminis infundit, inuitans et prouocans. Nisi enim aliquomodo sentiretur, nec appetendi nec inquirendi spes esset aliqua uel facultas. Sed quia ex parte sentitur, admirationi est odor ille et sapor, nullam habens cum carnalibus dulcedinibus similitudinem et per omnia suauitate differens, eoque desideratur copiosius quo cetera delectamenta excedit. Desiderium autem inquirentes purificat et purificatio

---

13 Ioh. 1.14
15-17 Cf. Rom. 1.20 19-20 Rom. 11.33

---

9-14 Quod Verbum... incorporo. Cf. Augustine, De Trinitate XIII.i.2-4 (Mountain & Glorie ed., CCSL LA, pp. 381-385)
17-19 In multis... oppressi. See Bernard of Clairvaux, De consideratione V.iii.5 (LTR, vol. III, p. 470). Cf. Boethius, De Trinitate II.16-17 (LCL, p. 8); Hugh of St.-Victor, De modo dicendi VIII (PL 176.879), & Theodoric of Chartres, Lectiones in Boethii librum de Trinitate II.48 & 33 (Häring ed., pp. 164 & 165f.).
20-27 Cordi... excedit. Cf. Anselm, Proslogion XIV & XVII (Schmitt's Latin-German ed., pp. 106-110 & 112-114).

---

14 incorporo] incorpore O, incorporeo ex -e corr. B, incorporeo L
18 circumducti] intro- L 21 ut post infundit add. O

exclusis enormitatibus ad formam dei prouehit ascendentes atque ita in opere suo imago et similitudo dei multis laboriosisque prouectibus propriam sibi demum uindicat dignitatem.

(6) Ad hanc rerum adeo profundarum indaginem, nisi incarnati Verbi magisterium accessisset, humana defecissent ingenia. Et nescio si etiam aliqui auderent ad hec temptanda conatus PL 1613 assurgere, sed associata carni diuinitas assumptam naturam ex parte sue uoluit esse claritatis consortem et (apertis celis super doctorem et dominum nostrum) ad superiora nostrum introduxit aspectum. Et uidimus gloriam eius quasi unigeniti a Patre et de plenitudine gratie et ueritatis, que in ipso est, instillata est nobis aliqua portio et cum Philippo audiuimus, Qui uidet me uidet et Patrem. Nec tamen in hac uisione plena potest esse fidei sufficientia, donec in splendoribus sanctorum in die uirtutis sue agnoscatur ratio gignentis et geniti et procedentis, quam nec

---

29 Gen. 1.26 (Vg: imaginem et similitudinem)
6.5-6 See Matth. 3.16
7-8 Ioh. 1.14
9-10 Ioh. 14.9
11 Ps. 109.3 (Vg: in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum)

---

6.12 gignentis... procedentis. Cf. Theodoric of Chartres, Commentarius Victorinus de Trinitate 3 (Häring ed., p. 481).

---

28 dei om. L
29 omni ante opere add. O
30 prouectibus] -fec- O uindicat] uend- MTOL, indicat e
6.3 etiam] et e
4-5 ex partem e, experte r, ex parte d 5 uoluit esse sue L
6 introduxit] -xere e
10 fidei om. e
12 nec om. e

oculus uidit nec auris audiuit nec in cor hominis ad liquidum hucusque ascendit.

(7) In his omnibus que dicta sunt omnino sensum nostrum materie excedit sublimitas et stilum repellit moles nimii ponderis et ascensionis ardue difficultas. Sed precepti uestri, Pater excellentissime, me coegit necessitas, ut temptarem, si forte importunitate studii aliqua possem de sanctuarii supellectile uellicare et (reducto in partem uelamine) arto subtilique aditu propitiatorium intueri. Presumpsit meditatio aspicere a longe et annos eternos inquirere et quid ante tempora secularia esset indagare, si tamen seculum uel tempus dici potest ante lucem et diem et solem, et quomodo ante causas elementarias et materiales origines illa eternitatis infinitas se haberet, si illa omnipotentia apud se solitaria esset et ministeriales ei deessent spiritus et maneret apud se illocaliter sempiterna diuinitas, et in quo esset sapientie regimen, cum non esset quid regeretur et usu specieque careret illa inanis antiquitas. Ab his omnibus repulsus ad secularia uisibilia compulsus sum redire.

---

12-14 I Cor. 2.9 (Vg: oculus non vidit...)
7.7 Heb. 11.13 (Vg: a longe eas aspicientes)
8 Ps. 76.6; II Tim. 1.9, Tit. 1.2

---

7.8-9 annos... indagare. Cf. Augustine, Confessions XI.xiii (LCL, vol. II, pp. 234 & 236).
15-16 Ab his... redire. See Augustine, De Trinitate VIII.ii.3, ll. 28-40 (Mountain & Glorie ed., CCSL L, p. 271).

---

13 non ante uidit add. e  7.13 1lla ante sempiterna add. C
14 regimen] regnum e  quid] quod O

(8) Et utinam me ipsum cognoscam et sciam! Quod si anime mee, que corporis mei obtinet principatum, nec originem scio nec metior quantitatem nec qualis sit intueri sufficio, si ignota est michi ratio quare ipsa delectetur in corpore, persecutore suo, si nescio quis hanc legem menbris insculpserit, ut tam uiolenta dominatione spiritum opprimat et melior digniorque natura deteriori succumbat, patienter me ferre oportet si operatorem uniuersitatis non intelligo, qui in minimis operationum suarum particulis meam profiteor cecitatem.

(9) Insolubilis uidetur hec questio quare homo rationabilis in negata nitatur et uetita et semper illicitis delectetur. Omnino rarum est et difficile fieri bonum, facile et pronum est esse malum. Et hac sine magistro, sine exemplo doctrina statim a pubescentibus annis imbuimur et docemur. Vide in ipsis qui sanctimoniam profitentur. Que religio manum claudat, porrectis muneribus? Que solitudo aures obserat, oblatis fauoribus? Que gula communibus est contenta saporibus? Quis non se habeat uilem, si uideat humilem? Quis non putet obprobrium, si se sentit inglorium? Quis enumeret uoluptatum potius monstra quam species,
PL
1614 per que concupiscentie carnis uictam animam trahunt clam palamque

---

8.4-7 Cf. Rom. 7.23

---

8.8 uniuersitatis. See Chenu, Nature, Man, and Society, p. 6f.

---

8.2 mei om. C
5 meis post menbris add. O
9.11 per que concupiscentie carnis uictam] per se que con. carn. uictam MT, que per con. carn. vitam e, que per concupiscentias carn. inuitam coni. Pamelius

de conclaui ad forum, de lupanari ad theatrum? In primis abrasa uerecundia pudoreque conuulso, non absconditur scelus nec mutit ratio nec discretio reluctatur. Carnis affectibus captiuus spiritus consentaneam exhibet clientelam. Hoc ipsum quod dico carnis affectus, inproprie dico, quia hec uitia proprie anime sunt, que sentit et mouet et uiuit, cui imputatur peccatum, quia ipsi datum est arbitrium et iudicium et scientia et potentia, per que possit reprobare malum et eligere bonum. Corpore autem sic utitur anima sicut faber malleo uel incude, in quo format omnium turpitudinum ydola et fabricatur quelibet quarumcumque uoluptatum simulachra. Non est caro dictatrix peccati nec inuentrix malitie nec cogitatus format nec disponit agenda, sed officina est spiritus, qui in ea et per eam quecumque affectauerit peragit et consummat. Quod autem ipsa insensibilis sit (spiritu recedente) dinoscitur, post cuius discessum nulli apta usui superest putredinis massa et paludis aceruus. Quicquid enim sentit, a natura corporis alienum probatur.

(10) Quod uero caro aduersus spiritum et spiritus aduersus carnem contendere dicitur et repugnare, inproprie arbitror dictum, quia solius anime lis ista est, que secum rixatur et cum proprio

---

9.19 Is. 7.15
10.1-2 See Gal. 5.17

---

15 consententaneam PMT
19 reprobare] im- e
20 quo] qua e
21 fabricatur] -cantur plurimae edd. sed -catur coni. Cauchius
25 recedente] reuelante O

arbitrio litigat certior in huiusmodi questionibus, quid bonum sit, quid malum, quam in aliarum rerum inquisitionibus, quid uerum sit, quid falsum. Nam in abditarum causarum inspectionibus et secretis nature potest homo errare uel decipi, quia non per omnia a fine usque ad finem intellectus humanus attingit, sed in his que oculis et manibus subiacent, nulla subtilitas iudicium impedit, quia fetentia a non fetentibus, decora a turpibus, amara a dulcibus, dura a suauibus et a dissonis consonantia facile discernuntur. Sed desiderii sui ueneno mens ebria corpus contumeliis applicat et (iunctis complexibus) ambo in mortiferas suauitates elapsi obdormiunt. Cumque euigilauerint, sero penitentiam adducit confusio et inquinamentorum horror fedate menti occurrit.

(11) Et in ceteris omnibus que maligne patrata sunt, huiusmodi ultio peccatorem persequitur et ipse libidinum labe crapulatus se conuomit. Sed auaritie solius et questus ardor nec satiat cupidum nec penitet eum cumulasse quod crescere optat, non minui et discola obstinatus semper quid ydolo suo immolet sedulus coaceruat. Vnde hec sitis diuitiarum miseris pectoribus assidet et ambitionis salsugo bibulam animam occupat, ut per fas et nefas

---

8 Sap. 8.1 (Vg: adtingit enim a fine usque ad finem)

---

10.4-6 quid bonum... quid falsum. Cf. Horace, Epp. I.ii.3 (edd. E.C. Wickham & H.W. Garrod, OCT, p. 206).

---

10.5 inquisitionibus] ad- O
12 sui mens ebria ueneno C, mens sui ebria ueneno B
11.3 se conuomit] secum uomit PMTOBC solius] scelus L
5 quid] quod O immolet ydolo suo O
6 pectoribus] pecca- O, ex pecca- corr. B
7 et nefas om. O

ad loca superiora, etiam de latebris heremi, nonnulli se ingerant et de omni gradu, ubi aliquis aditus patet, haneli prodeant, discurrant ad iudices, blandiantur mediatoribus, conducant auxiliarios et modis omnibus elaborent, ut sedeant cum principibus eo questu, ut maledicat deus quod ipsi benedixerint et benedicat quod maledixerint. Hec lex peccati quare in his et similibus
PL
1615 legem iusticie opprimat et quare eneruata ratio, cum stare possit, tam miserabiliter ruat, difficile est assequi, maxime cum defectus iste a dampnationis sententia pendeat et hanc ineuitabilem penam antiqua transgressio sit sortita.

(12) Ego si me ipsum nescio, si anime mee substantiam et naturam ignoro, si eorum que intra me sunt rationem non intelligo, qua audacia supra me erigam oculos, ut uideam principium sine principio et finem sine fine attingam? A talibus ausibus desistendum excellentia maiestatis imperat et ipsa impossibilitas omnes ingenii nostri conatus repellit. Verum quia in paradiso positi sumus et in esu reliquorum fructuum data nobis est licentia, a ligno eternitatis illius et inuestigatione diuinitatis

---

11.13 Rom. 7.23 (Vg: legi...)
12.6ff. Cf. Gen. 2.16-17

---

12.6 paradiso. See below VII.3.1 & VIII.6.15-16. Cf. E. Gilson, The Mystical Theology of St. Bernard, ch. IV.

---

12.1 substantiam] superbiam L
5 desistendum] desistere dum L et] etiam L
6 Verum P, hiatum (fort. ras.) exhib. M, om. cuncti
6-26 Verum... uoluptatis om. Le cunctaeque edd. praeter Oxon.
7 est nobis O

sempiterne interim continentes, scientiam boni et mali intelligamus, non nobis prohibitam quasi ueneno infecta sit ligni huius natura, sed quia ea debet scientie boni reuerentia exhiberi, ut nemo malum experimento contingat, que utique experientia ideo iustissime dampnabilis est, quia quantum in se est omnem plantationem diuinam destruit et eradicat. Nam malum nichil aliud est quam remotio boni et quisquis bonum auellere nititur, euacuare quod bonitas superna plantauit molitur. Lignum quippe uite post peccatum est interdictum, lignum scientie boni et mali ante peccatum prohibitum. Scientia quippe boni nunquam uetita est, sed ubi peccatum transgressor expertus est, abusus libertate arbitrii, a paradiso expulsus, uoluptatis possessor esse non potuit nec facilis ei ad lignum uite reditus fuit. Nam mors secuta est peccatum et hec ineuitabils lex usque hodie ab Adam in eius sobolem perseuerat. Verum in Christi sanguine (amoto flammeo gladio et aditu ad uirtutum coloniam patefacto) iam propior accessus conceditur et exheredatus homo tam libertate quam hereditate donatur. Deambulemus igitur in paradiso uoluptatis.

---

16-18 Cf. Gen. 2.16-17, 3.22
21-23 Cf. Rom. 5.12-14, 6.23
26 Gen. 2.8 (Vg: paradisum voluptatis)

---

11 sed quia... exhiberi. Cf. Augustine, De Trinitate VIII.iii.4, ll. 1-25 (Mountain & Glorie ed., CCSL L, p. 271f.)
14-15 Nam malum... boni. See Augustine, Enchiridion III.11 (ed. J. Rivière, BA 9, p. 118).
18 Scientia quippe... uetitia est. Cf. Augustine, De Trinitate VIII.iii.4 (Mountain & Glorie ed., CCSL L).

---

11 et mali post boni add. O
26 usque hic post uoluptatis add. MT. Possibile est quod haec uerba e nota marginali, quae illam omissionem longam solam in Le inuentam indicaret, orta sunt.

(13) Ea igitur que licita sunt et concessa tangamus, et circa cunabula saluatoris prima infantie eius fercula degustemus et circumcisi et loti (uicto diabolo) sanctificatis affectibus in cena cum domino recumbamus, ubi pane angelorum refecti post illius cibi delicias surgamus ad transitum, ut de hoc mundo uehiculo crucis euehamur ad celum, Spiritu sancto nos replente, qui deinde nos doceat et patefaciat quicquid in exilii huius peregrinatione moles corporis et imperfectionis lippitudo fecit obscurum. Libellum igitur quem de cardinalibus Christi domini nostri operibus scripsi, paternitati uestre suppresso nomine nostro misi, in quo fons sacramentorum est et discipline huius in qua stamus origo, formam et exemplar recte uiuendi nobis proponens, ab humili Christi aduentu usque ad gloriosum eius reditum ad Patrem gradatim conscendens, quem potius in mente uestra quam in pagina scribi desidero. Et utinam in sanctitatis uestre conspectu memoriam et recordationem nostri supplex mereatur affectus.

---

13.4 Ps. 77.25 (Vg: panem)

---

13.5-6 ut de hoc... ad celum. See Augustine, Tractatus in Iohannis euangelium II.2 (ed. R. Willems, CCSL XXXVI, p. 12); De Trinitate IV.xv.20 (Mountain & Glorie ed., CCSL L, p. 187), & De civitate Dei IX.xvii & X.xxix (LCL, vol. III, pp. 218f. & 382).

---

13.1 igitur] ergo O
2 eius prima infantie saluatoris C
3 que post sanctificatis addidisse uid. O
6 deinde] deinceps e
11 est om. e
13 Christi om. e
14 uestra] nostra e

Explicit prologus.

---

17 Explicit prologus om. L, Explicitus est prologus er (sed cunctae edd. om.)

# I. INCIPIT TRACTATVS DE NATIVITATE

PL 1615 (1) Adest Christi multum desiderata et diu expectata natiuitas. Adest sollempnitas inclita et in presentia saluatoris grates et laudes uisitatori suo per orbem terrarum sancta reddit ecclesia. Gaudia nobis celitus nuntiantur, leticia imperatur. Nox ista sacri partus conscia nouis fulgoribus illustratur. Gloriantur in celestibus superi. Pax in terra bone uoluntatis hominibus confirmatur. Assunt angeli, loquuntur pastoribus. Non dedignantur loqui personis humilibus et, cum ipsi sublimes sint, infimos non aspernantur. Nec luce insolita nec angelorum terrentur pastores presentia. Sane et pure fidei homines delectantur in eo quod audiunt consonas laudantium uoces celestis glorie et gratie diuine preconia modulantes. Nec satis fuit

---

1.6-7 Luc. 2.14 (Vg: in terra pax in hominibus bonae voluntatis)

---

Tit. PMT Incipit liber de cardinalibus christi operibus. De Natiuitate domini nostri iesu christi C Incipit liber de cardinalibus christi operibus. De natiuitate Christi B Incipit liber De cardinalibus operibus saluatoris cum De Natiuitate i.m. L Incipit sermo de natali domini nostri iesu christi O Incipit sermo de natiuitate christi e
1.3 sancta] sacrosancta L
11 celestes e

superis archana reserare celestia. Etiam hominibus pax reddita nuntiatur et bone uoluntatis noui muneris largitate consecratur affectus. Oportuit bonum dominum certificare et letificare in aduentu suo bonas expectantium uoluntates et (solutis antiquis inimicitiis, que inter semen serpentis et semen mulieris ab initio fuerant, et contrito capite uenenato) hostiles insidias, calcaneo huius sobolis assistentes, prerogatiua noue sobolis dissipari.

PL 1616 (2) Vnus Gabriel uirgini obumbrationem uirtutis altissimi nuntiat. Multitudo celestis exercitus gratulabunda saluatorem mundi predicat aduenisse et reconciliata terrestria superis canit. Et consilium antiquum prodiit palam, nec iam secretum est, sed innotuit publice in conspectu gentium reuelata Christi benignitas et oblata mundo, in nullo a nobis differens excepto quod peccati expers fuit, saluatoris humanitas. A supernis legationibus incipit euangelium, cuius primi dictatores angeli

---

16-20 See Gen. 3.15
2.1-2 See Luc. 1.26ff.
6-7 Cf. Hebr. 4.15

---

13 reddita pax B
15-20 Oportuit... dissipari om. L
16 notam ade post uoluntates quasi ex marg. ortam add. MT. (Cf. supra Prologus, 12.26).
16-20 et solutis...dissipari om. e et sqq. suppl. Et multiplicatis testibus certa presentie sue dare indicia vt iam non expectaretur quasi ventu-us sed qui venerat videretur et essent angeli quem sibi noua christi infantia consecrarat sancti ortus et loci indices Hanc lectionem in apparatum criticum pos. Oxon. et lectione mss. codicum utitur.
19-20 usque hic post dissipari quasi denuo ex marg. add. MT. V. supra 16
2.4 palam prodiit O
7 de medio uocabuli fuit, i.e. post syllabam fu- usque ad uocabulum aspernatur infra (8.6) per amissionem semiquaternionis, ut uid., om. C

extiterunt. Nec iam in manibus prophetarum similitudines et enigmata inuoluuntur, sed angelorum iubilo et hominum stilo et euidenti rerum indicio constat et consonant simul promissa et data umbrisque remotis lex et euangelia sunt unita. Multiplicantur testes. Militia celestis conclamat. Credit pastorum cuneus et exultat.

(3) A sapientibus et prudentibus non querit testimonium, qui paruulis se reuelat. In huius doctrine initio statim fastus et ambitio condempnatur. Non colores rethorum, non inductiones persuasorie adducuntur. Ratio et miracula harum rerum ordinem complectuntur. In primis signa se fidei miscuerunt et maxima in hoc efficacia dogmatum fuit, cum simul uerbis et rebus actum est, ut nullum infidelium repugnantia inueniret diffugium. Nox illa omni luce clarior, sermones angelici pacem hominibus nuntiantes, designato loco Bethleem, ad querendum puerum cohortantur pastores. Illi amplius mente quam oculis carnalibus illuminati ad conspiciendum Emmanuel festinant et edocti intus inuisibili magisterio Spiritus sancti, quem paruulum uident, confitentur

---

12 Cf. Hebr. 10.1
3.1 Cf. Luc. 10.21
11 See Luc. 2.16; Is. 7.14

---

3.6 uerbis et rebus. Cf. Augustine, De doctrina christiana I.ii.2 (ed. J. Martin, CCSL XXXII, p. 7f.); Hugh of St.-Victor, De sacramentis, Prologus V (PL 176.185A-B).

---

11 indicio] iu- e constant O
3.4 rerum harum B
12 confitentur] fatentur B

immensum et pie ei deuotionis affectum presentant. Electa adest humilium personarum simplicitas, ut poneretur regula et indissolubilis daretur forma, quod non nisi pauperibus spiritu Christi pateret humilitas nec superbos ad intuitum sui posset admittere ueritas.

(4) Veniunt in Bethleem. Quem predixit Gabriel inuenitur Emmanuel. Ciuitas paruula, domus paupercula, supellex exigua. Nulla domus ambitio ubi reclinatorium in stabulo, mater in feno, filius in presepio. Tale elegit "fabricator mundi" hospitium, huiusmodi habuit delicias sacre uirginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro bisso in ornatu regio lacinie congeruntur. Genitrix est obstetrix et deuotam dilecte soboli ipsa exhibet clientelam. Attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam. Totum negotium plenum gaudio. Nullus dolor, nulla nature

---

15 Matth. 5.3 (Vg: pauperes)
4.2 See Luc. 2.7
4 Cf. Eccle. 11.5
6 Luc. 16.19

---

4.4 fabricator mundi. Ovid, Metamorphoses I. 57 (LCL, vol. I, p. 6)
5-6 Panniculi... congeruntur. Cf. Arnold, Vita prima Bernardi II.i.6 (PL 185.272A).
7 Genitrix est obstetrix. See Arnold, De laudibus B.V.M. (PL 189.1730B). Cf. Prudentius, Cathemerinon XI.97f. (LCL, vol. I, p. 100).

---

13 ei] eo fort. B
15 forma daretur LB
4.1 Veniunt] Veritas MT
2 paruula] parua e
3 ubi] nisi e
4 mundi fabricator LB
6 lacinie] lacune e
7 deuota LB ipsa om. e
8-9 mamam porrigit O dolos e, sed dolor coni. Cauchius

contumelia in puerperio. Pedisequas substantia familiaris non patitur. Mancipiorum obsequia sumptus tenuis et inops mensa excludit. Nullum domus arta diuersorium occultabat nec secreti recessus erant illius casule. Incastraturam tectum et soli parietes per circuitum uestiebant. Nec locus ibi erat lauacris, que solent puerperis preparari.

(5) Quippe nec aliqua nature iniuria matrem domini leserat, quoniam sine tormento peperit, que in conceptione caruit uoluptate. Et tamen consuetudinem sequens, ut legi satisfaceret, quasi cum aliis mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis, diebus designatis recubuit et depositi honeris lassitudinem professa oblate quieti paruit et in diebus separationis non se a thoro Ioseph (quam numquam tetigit!), sed ab ingressu templi et ceteris que lex prohibebat continuit. Vltro maturus ab arbore baiula fructus elapsus est nec oportuit uellicari quod sponte prodibat. Nichil in hac repetiit ultio nec precedens delectatio aliquam expetiit penarum usuram. Spiritu sancto obumbrante

PL 1617

---

5.3-8 See Luc. 2.22
11 Luc. 1.35

---

13-14 soli parietes. Cf. Arnold, Vita prima Bernardi II.i.6 (PL 185.272B) & Bernard of Clairvaux, Apologia ad Guillelmum abbatem XII.28 (LTR, vol. III, p. 105, ll. 25-26).
5.10-11 delectatio... usuram. Cf. Arnold, De laudibus B.V.M., PL 189.1730B

---

10 familiaris ad famularis mut. L, ut uid.
13 erant recessus L incrustaturam coni. r et tectum Q
5.2 conceptione] conceptu B
7 quam] quem per notam i.m. exhib. L, quem B, qui eam e
10 ultio] ultro e, sed ultio coni. Cauchius

incendium originale extinctum est. Ideoque innoxiam affligi non decuit nec sustinebat iusticia, ut illud uas electionis communibus lassaretur iniuriis, quoniam plurimum a ceteris differens natura communicabat, non culpa. Eratque ei proprium priuilegium quod nulla mulierum nec ante nec deinceps meruit obtinere, quod erat simul mater et uirgo, singulis titulis insignita, unde et matri plenitudo gratie debebatur et uirgini habundantior gloria, quo carnis et mentis integritate insignis spirituali et corporali intus et extra Christi presentia fruebatur.

(6) Ornamenta que deerant, etiam si adessent, non haberent oculos inspectores, quia presentia paruuli sic eorum qui aderant, Ioseph et si quis forte alius ibi erat, oculos occuparat, sic illuminauerat animos, sic corda illexerat, ut in hoc uno summo bono omnium bonorum unita collectio uideretur nec opus esset uagari et mendicare per partes, quod simul in se uno fidelibus omnipotens infantia presentabat. Angelica sane non est credendum ibi ministeria defuisse nec recesserat a uenerabili pectore matris Spiritus sanctus ad uerbum Gabrielis illapsus. Possidebat domum suam et templum. Quod sibi consecrauerat adornabat. Seruabat sacrarium suum et sanctimonie thalamum honorabat.

---

13 Act. 9.15

---

15 ei] ibi O
16 nec[1] om. O nec[2] in columen textus medium scr. B
6.4 illuminarat LB illeserat e in om. B uno om. e
6 euagari e
8 misteria erd, sed minis- exhib. Pamelius
9 elapsus e

Letificabant et consolationes huiusmodi animam benedictam et tanti habitatoris reuerentia concupiscentiarum ludibria abigebat. Legem mentis lex carnis non infestabat. Rebellio nulla quietem spiritus affligebat. Paruulus sugens ubera pura alimonia utebatur et fons sacri pectoris defecatum edulium ori mundissimo infundebat. Sed et cor matris quedam dulcedines, que humanum superant intellectum, imbuebant eratque utrimque mira iocunditas, cum pia sancte matris et deuota humilitas et sancti sanctorum immensa benignitas confederatis affectibus iungerentur.

(7) Extrinsecus nuda erant et egena que uidebantur. Nichil in illa paupertate uidebatur diuinum, nisi his quibus reuelatum est desuper, quorum primi fuere supra memorati pastores, quorum innocentia et simplicitas electa est, ut laus Christi perficeretur, cum piscatores et pastores sequentibus temporibus confunderent oratores et a pauperibus et humilibus predicatio paupertatis haberet initium. Execrari solent Egyptii hoc hominum genus et abominabiles eis sunt oues et peccora. Sed huiusmodi officium ab inicio auctoritatem obtinuit et Abel pastor munera de

---

6.14 Rom. 7.23 (Vg: legi)
7.4-5 Ps. 8.3 (Vg: perfecisti laudem)
7-8 See Gen. 46.34

---

12 et[1] om. Le -modi om. O
13 ludibria ad -o per notam i.m. mut. L
19 cum] quum e
20 iungerentur] merger- e
7.2 illa] ea O nisi] non e, sed nisi coni. Cauchius
4 est om. O
5 cum] quin e
7 habet erd, sed haberet coni. Pamelius

PL 1618 gregibus ouium obtulit, que in eo quod celitus inflammari uisa sunt, quod grata essent deo, cunctis innotuit. Pastor Abraham, Ysaac et Iacob, uiri deo familiares. Pastores patriarche duodecim. Pastor ipse Moyses, qui in heremi recessu, dum sequitur pecudes, in rubo conspicit deum et potestate signorum collata populi recipit principatum. Helyseus de aratro propheta constituitur. Dauid de post fetantes accipitur et in regni solio collocatur. Agnum, quem abominatur Egyptius, sacrificari sibi precipit deus eiusque sanguis Israelitarum postibus illitus exterminatorem angelum repellit et abigit. Nec timetur mortis periculum, ubi tante reuerentie conspicitur signum.

(8) Ad umbram Petri languentes consurgunt. Apostolis subiciuntur demonia. Cedit idiotis reproborum eloquentia. Predicante Paulo, captiuas complicant manus gentes et regna. Pauperes electi, superbi neglecti. Nec fastus nec astus circa Christi discipulatum aliquem obtinent locum. Christus pauper discipulos diuites aspernatur. Pauper mater, pauper filius,

---

8-11 See Gen. 4.4
11-12 See Gen. 13.5, 26.14, 32.5
12-13 See Gen. 37.12
13-15 See Ex. 3.1ff.
15-16 See III Reg. 19.19
16-17 See I Reg. 16.11
17-19 See Ex. 12.13
8.1 See Act. 5.15
1-2 See Luc. 9.1
2 See Act. 4.13

---

15-17 sententiam Helyseus... constituitur post sententiam Dauid... collocatur transp. O
17 abhominatus O
8.4 fastus ad fatus mut. O astus] altus e
6 aspernat e, sed corr. r Hic post uocabulum aspernatur denuo incipit C

inops hospitium his, qui in forma huius scole in ecclesia militant, prebent efficax documentum. Hunc in cunabulis adorauere pastores et, paruulum confitentes deum, simpliciter argumentosi in spiritu et ueritate, quem adorauerunt, nouerunt. Fuerat quidem miraculum, quod apertis celis lux fulgoris insoliti nocte super eos fulserat, quod auditi angeli et conspecti, quod ab ipsis fuerant edocti et instructi pastores. Sed licet hec precessissent, tamen circa infantiam pueri diuinitatis intimate nulla humana ratio prebebat experimentum. Nec circa illius presepii angustias, uagiente inter alligaturas infantulo, aliquod maiestatis erat indicium. Sed auditui fides obtemperans, nullum apud deum impossibile uerbum credidit et per Spiritum sanctum ad sacramentum hoc intelligendum subtilissimis est intelligentiarum accessibus introducta. Idemque Spiritus, qui longe ante prophetas docuerat, etiam nunc humilium mentibus se infundens dilatabat humani intellectus angustias et aperiebat interiores oculos, ut uiderentur inuisibilia et intelligerentur ea ad que humanus non attingit sensus nec rationis penetrat intellectus.

---

11-12 See Luc. 2.9
17-18 Luc. 1.37 (Vg: non erit inpossibile apud Deum omne verbum)

---

8.23-24 ut... intellectus. Cf. Boethius, De consolatione philosophiae V, pr. iv, ll. 82-115 (LCL, pp. 410 & 412).

---

15 nulla] nullum per notam i.m. L, fort. recte humana om. O
circa] cura e, sed corr. r

(9) Hinc est quod predixerat Ysayas, Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis. Hoc potuit uideri. Hic nullum fides meritum querit. Quod autem sequitur, Vocabitur nomen eius Emmanuel, admirabilis consiliarius, deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis, si clausi sint oculi mentis, exterioribus oculis nescio quid mireris. Qui necdum loquitur, quomodo consiliarius erit? Paruulus, quomodo credetur omnipotens deus? Omnino infirmus, in quo uidebitur fortis? Nichil omnino possidens, ad apicem regni et principatus fastigium quibus ascensionibus attinget? Sed si fide mysteria prosequaris, in his omnibus subtilissimas et purissimas rationes inuenies et quod omnino necesse fuit inmensum fieri paruulum et filium dei hominis
PL 1619 filium euidenter agnosces. Mirabitur etiam et dilatabitur cor tuum, quando intelliges profundissimum sacramentum, in eo quod contemptibilis factus est admirabilis et qui litteras non didicit

---

9.1-2 Is. 9.6
3-5 Is. 9.6, 7.14
13-14 Is. 60.5
15 Cf. I Cor. 1.28

---

9.15 contemptibilis... admirabilis. Cf. John Scotus Eriugena, In ierarchiam coelestem II.999-1005 (ed. J. Barbet, CCCM XXXI, p. 47).

---

9.1 natus] datus C
2 et ante filius add. B  Hic] Hinc L, ex Hinc corr. P
2-3 fides nullum O
3 querit meritum O
5 sint] sunt LO
6 mereris e
7 creditur L, ex creditur corr. C  deus om. O
9-10 quomodo post fastigium scr. C et sup. l. et quibus ascensionibus add.
10 attingeret O, ex attingeret corr. M  fidei e
mysterium e
12-13 filium hominis O

nec legibus instructus est, sufficiens sit diuinarum humanarumque rerum consiliarius, quomodo diuinitas et humanitas in unam personam conuenerint. Et ubi estimata est infirmitas, fortitudo inuenta est, ut corpus humilitatis nostre diuine claritati configuratum non in hoc mundo, sed in celesti gloria perpetuum habeat principatum.

(10) Ad paruulos uenit Christus et cum paruulis conuersatur. Pauperes instruit et creat et facit. Ipse, in synagoga Iudeorum in Ysaie uolumine cum legisset in sabbato, complicato libro prophetiam hanc in se completam edocuit, quod a Spiritu sancto unctus sit et ad euangelizandum pauperibus Pater eum miserit. Idem in euangelio gloriatur et confitetur domino celi et terre, gratias agens quod reuelata sint diuina misteria paruulis, a quorum intellectu sublimitas huius mundi repulsa est, que deo subici non potest, dum secundum carnem et sanguinem inuisibile ipsius suis regulis inuestigat. Hic est primus religionis introitus sicut in mundum primus Christi ingressus, ut quicumque pie uult uiuere, humiliter de se sentiat neque supra se in mirabilibus

---

19-20 Phil. 3.21 (Vg: configuratum corpori claritatis suae)
10.2-5 See Luc. 4.15ff.
7 See Luc. 10.21

---

18 conueniunt O, -erunt e
19 ut coni. Cauchius, et omnes mss. codices primaeque edd.
10.2 et1 om. O
3 Ysaie ex ysagoge corr. O
7 sint] sunt e

ambulare presumat. Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas nec in celo stare potuit superba sublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noster paruulus attulit et, a cunabulis nos sibi conformes fieri uolens, teneri uoluit in uita quod exhibuit in persona.

(11) Quia uero filii dei sumus, humanitatis participatione frater noster fieri uoluit, ut essemus secum beatitudinis coheredes et haberet tota compositio hominis perfectam plenamque letitiam, cum spiritus diuinam representaret imaginem et caro nostra corporis Christi similitudinem. Consummate societatis beneficium obtinemus, cum nominis Christi et hereditatis consortes et diuine nature communicamus per spiritum et humane per corpus. Iurauit dominus et non penitebit eum et promissionum suarum non inmemor. Sicut se daturum nobis iurauerat, sic compleuit. Filius datus est nobis, qui cum in forma dei esset, splendor glorie et figura substantie eius, non est confusus se ad

---

12-13 Ps. 130.1 (Vg: neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me)
11.1 Rom 8.16 (Vg: sumus filii Dei)
8 Ps. 109.4
10-11 Is. 9.6; Phil. 2.6; Hebr. 1.3

---

10.13 Fundamentum... humilitas. See Benedicti Regula VII (ed. Schmitz, pp. 45-61)

---

14 celum C
15 paruulus noster L
11.1 humanitatis] humili- L, ex humili- corr. B
3 plenam perfectamque O
5 Christi] nostri O, sed fort. cancell. Christi corporis e
6 obtineremus e

formam serui exinanire, ut qui de fraternitate eius gloriantur et uolunt ascendere, non erubescant descendere, sed eidem scale cum Iacob innitantur et cantantes canticum graduum ab imis ad superiora conscendant.

(12) O domine, quam admirabile est nomen tuum! Vere tu es deus qui facis mirabilia. Non modo mundi huius structuram admiror, non stabilitatem terre, cum eam complectatur uolubile firmamentum, non singulos in dies lune defectum et incrementum, non solem semper integrum et laborem eius perpetuum, non temporum
PL 1620
uicissitudines, in quibus quedam arent, quedam uirent et que mortua modo uidentur, deinceps reuiuiscunt. Miror deum in utero uirginis, miror omnipotentem in cunabulis. Miror quomodo Verbo dei caro adheserit, quomodo incorporeus deus corporis nostri tegumentum induerit. Miror in hac dispensatione tanti dispendia temporis et tam lentos processus ad obedientiam saluatoris. In

---

11-12 See Phil. 2.7
13-14 See Gen. 28.12
14 Pss. 119-133
12.1 Ps. 8. 2,10
1-2 Ps. 76.15

---

11.14-15 cantantes... conscendant. Cf. Augustine, Confessions XIII.ix (LCL, vol. 2, p. 392).
12.2ff. Non modo mundi, etc. Cf. Augustine, De Trinitate IV.1, 'Prooem' (Mountain & Glorie ed., CCSL L, p. 159, ll. 16-21); Enarrationes in Psalmos CXLV.5, ll. 21-38 (Dekkers & Fraipont ed., CCSL XL, p. 2108f.); Bernard of Clairvaux, De consideratione V.iii.5, ll. 9-12 (LTR, vol. III, p. 470).

---

12.2 structuram] in ras. P, staturam e
4 singulos in dies] emendaui, singulos dies in PMT, singulos dies non, CBLOe
7 modo mortua L
9 incorporeus] in corpore L

breui poterat patrari negotium et poterat tantus labor adbreuiari ad solum Christi uerbum, sicut factus est mundus et disposita cuncta ad eius imperium. Sed elementario mundo dignior est rationabilis homo, quod ex eo quod in eius seruitium facta sunt omnia facile creditur. In ceteris quocumque modo alique satisfaciunt rationes. Hic solus me complectitur stupor et cum Abacuch cano, "Consideraui opera tua et expaui." Miror ieiunium, miror temptationes, miror omnipotentem in sepulchro iacentem, miror occisum et resurgentem. Hec sunt noua mira, que predixerat Ysaias: Nouum faciet dominus super terram. Mulier circumdabit uirum. Opus suum faciet et peregrinum opus eius ab eo. Iesus Christus heri et hodie ante luciferum genitus inicium carnis sumpsit ex uirgine et quem celi celorum non capiunt, qui implens omnia cum sit in omnibus, ab his tamen non capitur nec tenetur.

---

15-16 See Gen. 1.26,28
18 Cf. Hab. 1.5, 3.2,16; Eccle. 8.9; Iob 37.1
21-22 Ier. 31.22 (Vg: creavit Dominus... Femina...)
22 Is. 28.21 (Vg: ut faciat opus suum alienum opus eius ut operetur opus suum peregrinum)
22-23 Hebr. 13.8 23 Ps. 109.3 (Vg: genui) 24 III Reg. 8.27 (Vg: te capere) 24-25 Cf. Eph. 4.10 25 Cf. I Cor. 15.28

---

18 Consideraui... expaui. "Canticum ad Laudes II (Feria Sexta)", in R.J. Hesbert, Corpus antiphonalium officii, vol. III (Rome, 1968), p. 162.

---

13 est om. e 15 rationalis L
16 quocumque] quoque B
21 Ysaias] iheremias B, ieremias O, Ierem sup. l. T
22 est post peregrinum add. CB (per superscr. C)

(13) Nouum est et inauditum, quod intra materni angustias uteri circumdedit intra se fragilis caro uirtutem altissimi et ordinem rerum cursumque nature mutauit sapientia dei et ubique diuinitas dilatata, plenitudinem sui uasi infundens exiguo, sic est circumdata muliebri utero, ut tamen uniuersa ambiret implens omnia, excedens cuncta, intra se omnia continens, extra uniuersa complectens. Quem nos paruulum, propheta nuncupat uirum, insinuans ei nunquam defuisse uirtutem, sed semper uirilis etatis affuisse fortitudinem, quem infantilis infirmitas occultabat. Opus suum igitur fecit recreans quod creauerat, saluans quod perierat, ad uitam reuocans quod mortuum erat. Sed peregrinum opus fuit in deo quod Verbum factum est caro, quod factus est uisibilis et comprehensibilis, passibilis et mortalis, peregrinum a maiestate puer, suggens ubera, panniculis inuolutus et sustinens conuitia, Filius dei in patibulo constitutus. Consiliarius quoque dictus est paruulus iste, qui et alibi dictus magni consilii angelus, eo quod secreta dei, que ab hominibus erant abscondita, publice reuelauit. Et cum nemo nosset Patrem

---

13.12 Ioh. 1.14 (Vg: caro factum est)
15-16 Is. 9.6
17-18 Cf. Iob 11.6

---

13.5 circumdata est O tamen] cum e
7 nuncupauit C
8 nunquam ei O, nonquam M
9 quem] quam O
10 recreans om. e, in ras. P saluansque e
13 et post mortalis add. e
14 panniculis] pannis O
16 est post dictus² add. L
17 hominibus] omnibus MTO

nisi Filius, ipse archana fidei reserans indaginem Trinitatis explicuit, loquens Patri et a Patre responsum accipiens, et Spiritum sanctum infundens discipulis, generationis et processionis intimans rationes, subtiliter astruens personarum proprietates et indissolubilis essentie unitatem; alia quoque inferiora sed tamen necessaria consilia edocens, ut beneficia collata homo intelligat, ut in eo quod stat, gratias agat et (quod possibile
PL 1621 est ex dei gratia) cum ceciderit, ut resurgat.

(14) De uirginibus, ait apostolus, preceptum domini non habeo. Consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus. Vult et laudat ex imperio domini, ut que nupserint sic permaneant, que uero uirgines sunt, dei emulatione castitatis integritatem exhibeant Christo. Et in hunc modum quecumque auctoritate diuina immobilia constant sic maneant, que uero in alterutrum potest libertas arbitrii flectere, locum eligant puriorem, quia etsi bona sunt et a deo instituta coniugia, melior tamen est continentia et uirginitas excellentior, quam non cogit necessitas aut mandatum, sed perfectionis suadet consilium. Quod

---

18-19 Matth. 11.27 (Vg: neque Patrem quis novit nisi Filius)
21 Cf. Ioh. 20.22; Act. 2.3-4
14.1-2 I Cor. 7.25
3-10 Cf. I Cor. 7.26-40

---

14.8-10 quia etsi bona... consilium. Cf. Arnold, De donis Spiritus sancti II (PL 189.1593A).

---

19 fidei] dei L
26 cecidit fort. O ut om. e
14.4 ex ante dei add. C emulatione] cumula- e
8 puriorem] priorem MTe instituta] con- O

si diuinis consiliis obuiauerint temptamenta et liberas mentes ad carnales reuocauerint appetitus, adest deus fortis. Nec spem ponat homo in homine nec in brachio carnis sue confidat, quia qui mundum uicit uictoriam suis promittit militibus et qui uictores sunt sui celo uim inferunt, quoniam sicut scriptum est, Regnum celorum uim patitur et uiolenti rapiunt illud.

(15) In paruuli huius nomine cum hoste antiquo congredimur et fortis armatus, superueniente fortiore, de atrio antiquitus possesso potenter expellitur et presumpte infestationis audacie silentium imperatur. Defectui carnis nostre que a primitiuis fecibus originalis mali infecta languerat, ex Christi carne redditur fortitudo et sacramentorum communicatio, per quam illius corporis sinceritati unimur, nos in tantum corroborat, ut de mundo et de diabolo et de nobis ipsis uictoria potiamur et, sacramentali gustu uiuificis misteriis inherentes, una caro et unus spiritus simus, dicente apostolo, qui adheret domino unus spiritus est. Sic hi ad quos sermo fit dicuntur dii et filii

---

12 Is. 9.6
12-13 See Ier. 17.5
13-14 See Ioh. 16.33
15-16 Matth. 11.12
15.2 Luc 11.21-22
10-11 I Cor. 6.17

---

14 militibus. See Christine Mohrmann, "La langue de saint Benoît", in Benedicti Regula, ed. Schmitz, pp. xxix-xxxii.

---

12 Nec] ne MTO
15.3 expellit O
4 que] quo L
9 uiuifici C
10 domino] deo L

excelsi, nominis et hereditatis et eternitatis participes, fortitudine societatis Christi subigentes temptamina et, cum homines sint ex indigniori materia, in captiuitatem redigunt et conspuunt ligantque demonia.

(16) Et quidem in hoc tempore in stadio uite huius se exercet militia christiana et, preeunte Christi uexillo, quem et paruulum uidimus et cognouimus deum. Et quos Spiritus consilii et fortitudinis munit nec uinci nec decipi possumus, quos eruditio diuina scientia et potestate fecit insignes. Videtur autem in presenti disciplina huiusmodi non esse gaudii, sed meroris, eo quod non sine periculo certamina peraguntur. Bonum uero certamen certantibus pacatissimum fructum in futuro exercitatis in iusticia dabit princeps pacis eterne, consignans sibi in beatitudine, quorum communicauit nature. Ipsi gloria et imperium a modo et usque in sempiternum. Amen.

---

11-12 Ps. 81.6
16.3-4 Is. 11.2
6-7 Hebr. 12.11 (Vg: disciplina in presenti)
7-8 II Tim. 4.7
8 Hebr. 12.11 (Vg: fructum pacatissimum)
9 Is. 9.6

---

16.1 quidem] quod L
6 huiuscemodi e esse om. O
11 Amen om. O

## II. DE RATIONE CIRCVMCISIONIS

PL 1621 (1) Inter omnia testamenti ueteris sacramenta nichil circumcisione sollenius antiqua celebrauit religio. Nec tantum in

PL 1622 Hebreos, sed etiam in Phenices et Arabes hec traditio inoleuit. Relique gentes tam mandatum quam factum irrident et deo minime asserunt conuenire, ut saluatoris benignitas plagis infantium delectetur et inmeritos in ipso uite initio periculo mortis addicat. Hoc de bono domino sentire, qui neminem uult perire, absurdum et irrationabile iudicant. Nec tamen eis omnia reliqua sacrificia sunt horrori, sed in multis naturalem legem sequentes, expiationum retinent instrumenta et immolant uictimas et incendunt adipes et cum odoramentis et libaminibus fundunt coram deo preces et uota. Legimus Iob dei testimonio approbatum

---

7 Cf. I Tim. 2.4

---

Tit. Sermo de ratione circumcisionis O De Circumcisione domini L
1.1 ueteris testamenti C
3 etiam om. O
4-5 asserunt minime O
6 inmerito MT, ex -tis corr. B eos post inmeritos add. B eos post mortis add. C
8-9 reliqua sacrificia] bona sacramenta subst. O
12 uota et preces e

iugibus sacrificiis occupatum, nec legimus circumcisum et poterant esse eo tempore diuersis in locis multi uiri insignes, qui iusticie dei subiecti hoc signo carebant, licet filios Esau et Ismael putandum sit huius traditionis non fuisse expertes. Verum cum opus istud et antiquitas commendet et iubentis auctoritas, inquirenda est tanti misterii ratio, que Abrahe specialiter et semini eius tanto pondere mandata est, ut quisquis in illa gente huius signi careret differentia, ethnicus, non Iudeus reputaretur et a titulo filiorum Israel abraderetur proscriptus. Hoc cum octaua die iussum sit celebrari et nomen circumciso aptari, intimatum est his, qui digni sanctorum consortio censebantur, quod eorum nomina scriberentur in celis et eterne beatitudinis, quam post uite huius septimanam octaua consequitur, heredes fierent et consortes, quicumque uite innocentia et celibatus sanctimonia sese domino consecrassent.

(2) Tenera itaque infantia huiusmodi erat imbuenda doctrina et ante concupiscibiles motus quos peccatum meruerat, miserabili pene et ineuitabili uindicte etiam in paruulis adhibenda erat seueritas et, antequam ebulliret sartago libidinum, prouisum est uentilabrum, quo refrigerari posset et extingui depopulatricis flamme uagus ardor et uniuersa perlustrans incendium. Ideoque

---

1.12-13 See Iob 1.5
15-16 E.g., Gen. 17.23
18-21 See Gen. 17.9-14

---

14 temporum e in diuersis B
22 octauo C
23 his om. L, i.m. post intimatum add. C
27 celibatus] deli- C
2.1 imbuenda erat B

dolor uoluptati et sanguini delectationis sanguis tormenti opponebatur, ut in primis elementis discerent paruuli, semper proprie memores sectionis, contraria curare contrariis et ad cohibendos refrenandosque turpitudinum appetitus necessarium esse sale corrosorio carnis perfricare pruritus et semper recrudescentes desiccare putredines. Ad hoc corpus suum mortificabat apostolus, non tantum circumcidens illud seminarium membrum, sed totum se crucifigens et omnibus extraordinariis motibus opponens cauterium, usque adeo corpus suum redigens in seruitutem, ut diceret, Viuo autem iam non ego. Viuit uero in me Christus. Cuius facti emulatores erubescimus in pudendis et (detecto sectoque confusionis operculo) licet conscientia testis semper nobis exponat scaturientes intus peccati insidias nec internum possimus uitare iudicium, uiriliter tamen standum est et rationis auctoritate increpandi sunt titillatorii sensus et summopere uigilandum est, ne sequatur assensus. Intra nos pudor iste
PL
1623 aboleri omnino non potest, quia nec totum hoc membrum, sed

---

2.14 Cf. Gal. 5.24
15 I Cor. 9.27 (Vg: castigo corpus meum et in servitutem redigo)
16 Gal. 2.20

---

2.9 contraria... contrariis. See below, VI.6.10-11.

---

12 putredines] pingue- C
13 tantum] tamen e
15 et post cauterium add. L
17 impudendis e, sed corr. r
18 licet] quamuis e
19 possimus] -sumus O, ex -sumus corr. B
19-20 uitare possimus PMTOe
22 ascensus e

anterior eius portio iussa est circumcidi. Res sane maxima est, si non egrediatur foras huius contagio corruptele et insaniens bestia corrupti hanelitus cathenis ferreis in ultimis anime recessibus alligetur intusque fractis dentibus se ipsam concupiscentia captiua masticet et corrodat. Manet itaque erubescentia propter sensum, ut qui in agone contendit, sciens circumcisionis misterium, ab omnibus se abstineat, que possunt huic flamme ministrare fomentum. Nec tamen peremptoria est contendentibus, sed probatoria huius sensualitatis colluctatio tam ueterna. Sed institutum est certamen inter spiritum et carnem, ut uictor homo peccati et pene post triumphos sollempnes coronetur in gloria sine infestationibus, deinceps liber a peccato et pena.

(3) Hanc uerecundiam post preuaricationem uanitati subiecta non uolens anima pertulit et uim sustinet, inquietudine perurgente, et inuoluntariis motibus fatigata infelicitatis sue deplorat miseriam, liberari de corpore mortis huius desiderans, et pacifici tranquillique status a deo postulat libertatem. Cotidiano sane conflictu spiritus et caro luctantur et causatur ratio aduersus domesticum malum, quod ita intra se exerceat reg-

---

29-30 I Cor. 9.25 (Vg: abstinet)
3.4 Rom. 7.24 (Vg: liberabit)

---

24 et post est$^{2}$ add. O
27 fractis] -tus M, ex -tus corr. P
3.1 uanitatis L
3 perurgentes L
4 desiderat L
7 se om. O

num quasi natura sit uitium et secum traxerit creatio prima peccatum. Hoc utique prima non sentit conditio, sed secutum est transgressorem supplicium et adhesit indiuidua pena peccato, de quo erubescunt quicumque mundo corde regem in decore suo uidere desiderant. Quis in tam assiduis illusionibus non confundatur? Quis non in tantis contumeliis erubescat? Fomes quippe huius mali intus in tenebrosis recessibus latitans, ut uiderit animam alias occupatam et minus ad sui circumspectionem sollicitam, irruptionibus uehementibus erumpit et blanditiis uenena supponens pudicitie puritatem inopinatis inuadit assultibus. Ideoque pudibundus homo nuditatem suam operit et feditatem confusus occultat. His rediuiuis uulneribus semper hac sanie illitis, necessaria est per omnem huius uite septimanam iugis resecatio putredinum et continua circumcisio cicatricum et in ceteris quidem membra omnia imperio rationis obediunt et arbitrii retinent libertatem. Hic uero ubi Babilonie fornax exarserit et quasi pice et napta conspersi libidinum ebullierint appetitus, inflammata caro libertatis priuatur honore, in tantum ut rebellia membra uelit nolit in motus nefarios audacter exurgant.

---

11 Matth. 5.8; Is. 33.17
17-19 See Gen. 3.7
23 See Dan. 3.21

---

8 natura] nata L
9 sentit quod scriptum erat ad sensit mut. B
11 erubescent e
15 minus] in imis e sui] suam L (cf. GL 309.2)
20 uite huius O
22 membra] membris L (hac nota +bris in coaeua manu i.m. comitante)

(4) Precedebant olim integumenta rerum significantia abolitionem peccati et ad perfectionem inchoata tendebant. Nec hoc sacramentum consuetudini antique subtrahere uoluit Christus et licet non esset in hoc tempore necessarium, tamen ne antiqua religio prorsus reproba uideretur, in se uoluit circumcisionis aptari signaculum. Sane originale peccatum, quod a primis patribus in totam generis huius successionem defluxit, omni PL 1624 tempore aliquibus remediis oportuit expiari, licet plenam uim significantia non habuerint donec ad rem ipsam uentum est, que figurarum operiebatur uelamine. Et licet sacramentorum archana omnibus non paterent, uirtus tamen et effectus eorum ignorari non poterat, quia ab Adam usque ad Noe sacrificia deo fuisse constat accepta, que usque ad illud tempus sine legis distinctione diuinitus inspirata institutione primi homines celebrarunt. Illa uero sacrificia aut in animalium sanguine aut aliarum oblationum incensionibus agebantur, non quod fumo aut mortibus pecudum delectaretur deus, sed ut intelligeretur immutabile iudicium et prolata ab initio sententia in peccatum.

---

4.5-6 See Luc. 2.21
12-13 E.g., Gen. 4.3-4, 8.20
16-17 Cf. Is. 1.11

---

4.5 reprobata L
8 uim plenam e
9 euentum O
12 constat fuisse OLe
13 tempus] tunc O
14 celebrarent e
16 augebantur L quod] quo cum ras. sequente quasi quod ad quo mutauerat scr. B

(5) Immutabile decretum ab eterna lege exierat concupiscentia affligi et morte peccatorem puniri. Nec poterat plagis exterioribus remedium aliquod subuenire, quin stimulus carnis sine ulla exceptione colafizaret infirmum et usque ad dissolutionem mors importuna persequeretur captiuum. Et mors quidem carnis concupiscentiarum intersequabat ludibria nec poterat ultra peccare illud quod erat putredini ac dissolutioni predestinatum et datum. Sed supererat post mortem carnis anime labor et afflictio spiritus nec poterat ulla ratione illa absolui damnatio, nisi morti omnium uita omnium subueniret et pro generali morbo gratia dei singulare propinaret antidotum. Hoc antiquum redemptionis nostre consilium sanctis patribus reuelauit deus uoluitque, ut paulatim assuescerent homines passioni et morti necessarie uoluntarie mortis opponerent libamentum et penam in medelam et supplicium in remedium commutarent.

(6) Huius oblationis doctrinam sacrificia continebant antiqua et incensiones et mortes huius consummationis gratiam presignabant. Propter hoc cum iam fidei tempora propinquarent, imperata est circumcisio et pars illa corporis, in qua est uoluptatum seminarium et libidinis officina, iussa etiam in paruulis

---

5.10-11 pro generali... antidotum. Cf. Augustine, De Trinitate IV.ii.4, ll. 16-19 (Mountain & Glorie ed., CCSL L, p. 164)

---

5.1 quod post decretum add. CB
4 colafizaret ad ola- seu ole- mut. M 5 mors] mox C
6 intersequabat] codd., intellige -cabat
6.4 est[1] om. CB est[2] om. O
4-5 uoluptatis L
5 etiam] est O in paruulis om. O

amputari, ut proprii primitias sanguinis ei, qui totum sanguinem suum oblaturus erat, offerrent et communia singulorum sacrificia singulare precederent holocaustum. Vbi uero Christus dominus uenit, de quo in capite libri scriptum erat, ut in morte sua Patris uoluntatem impleret, cessarunt sacrificia nec iam truncationem preputii euangelium imperauit, sed circumcisionem cordis et omnem tam menbrorum quam affectionum petulantiam gladio Spiritus resecari immutabili decreto mandauit. Et tante dignitatis illa una redemptoris nostri fuit oblatio, ut una ad tollenda mundi peccata sufficeret, qui tanta auctoritate in sancta introiuit in sanguine proprio, ut deinceps nulla supplicantium postulatio sanguine indigeret alieno. A diebus igitur uisitationis nostre regnum celorum uim patitur nec iam in expoliatione carnis circumcisio agitur, sed Spiritus sancti uirtute uetustatis antique sanies expurgatur.

---

6.9 Hebr. 10.7 (Vg: capitulo... est)
11 Rom. 2.29 (Vg: circumcisio)
12-13 Eph. 6.17 (Vg: gladium)
15-16 Hebr. 9.12 (Vg: per proprium sanguinem introivit semel in sancta)
17 Hebr. 9.25
17-18 Cf. I Pet. 2.12
18 Matth. 11.12

---

7 erat] erant C, ex erant corr. B offerent M, ultimam syllabam in ras. scr. P
8 singulare om. CBLO dominus] deus L

## III. DE STELLA ET MAGIS ET INNOCENTIVM NECE

PL 1625 (1) Nato in Bethleem saluatore, audita est in Effrata eius in terris presentia et usque ad siluas camposque gentium noue huius natiuitatis est fama porrecta. In Iudea a pastoribus et angelis primo sunt hec gaudia celebrata nec multo post Arabum fines huius noticia penetrauit et incolis Sabba preclari stella luminis celestis ortum numinis nouis splendoribus indicauit. Erant in illis regionibus uiri siderum inspectionibus assueti, qui arte mathematica uim discursumque nouerant planetarum, qui ex elementorum natura rationem temporum metientes astrorum ministeria certis experimentis propriis didicerant effectibus assignata. Hi ex uaticiniis Balaam olim audierant stellam oriri ex

---

1.1-2 Ps. 131.6 (Vg: audivimus eam in Efrata invenimus eam in campis silvae)
3-4 See Luc. 2.8-14
4-6 See Ps. 71.10; Matth. 2.1-12

---

Tit. Sermo de stella et magis et innocentium nece O De Epyphania domini L
1.1 domino post Bethleem add. O
5 rei post huius add. e
6 ortum om. e
9 temporis C
9-10 misteria O
11 ex[2]] in e

Iacob et hominem in Israel, cuius fortitudo quasi rinocerotis, ad quem in trieribus de Italia uenirent qui superarent Assyrios et uastarent Hebreos, quo tempore nec in Iacob ydolum nec in Israel simulachrum esset.

(2) Diu homines illi huius prophetie prouentum expectauerant et ubi uenit plenitudo temporis (orto repente nouo sidere) ad antiqua recurrentes uolumina, tam testimonio muniti quam signo, dromedis inuecti in Iudeam stella duce perueniunt. Nec potuere Palestine incolas latere tanti nominis persone, sed ubi auditum est quod stellam indicem nati in Bethleem paruuli sequerentur, Herodi noui regis inquisitio nuntiatur. Euocatis itaque magis rei huius ordinem cum omni diligentia sciscitatur. Audit natum in Bethleem paruulum, quem profitentes regem et deum, qui de Sabba uenerant, adorare et uenerari festinant. Intimatum est ei quod ab antiquis temporibus Moabites propheta licet gentilis predixerat et contulit cum litteris gentium sanctorum uaticinia prophetarum, quorum scripta per omne sabbatum legebantur, de quibus nulla in populo Iudeorum ambiguitas erat, quin rata essent que illi uel asseruissent preterita uel predixissent futura. A

---

11-12 See Num. 24.17
12 Num. 24.8 (Vg: similis)
13-14 Num. 24.24 (Vg: venient in trieribus de Italia superabunt Assyrios vastabuntque Hebraeos)
14-15 Num. 23.21 (Vg: non est idolum in Iacob nec videtur simulacrum in Israhel)
2.2 Gal. 4.4
13 Act. 15.21 (Vg: legitur)

---

14 temporum e
2.4 ducente O
7 Euocatis] Et uocatis O
9 esse post Bethleem add. e
14 erat ambiguitas L

fortitudine eius, qui quasi unicornis obuios penetraret, in cuius obsequium ultrices de Italia trieres in Iudee terminos aduentarent et usque ad fines mundi dilatarent imperium, anxius expauit et timuit.

(3) Conturbabat quoque aliud quod in Michea scriptum est testimonium, Quoniam de Bethleem que est in Effrata egrederetur paruulus, qui dominator esset in Israel, cuius egressus esset ab initio a diebus eternitatis. Cumque ea que domestici codices continebant cum his que ab alienigenis dicebantur intelligeret conuenire, diuinis temptans reluctari consiliis simulat perfidus religionis assensum, promittens magis sese ad adorandum paruulum cum omni deuotione ilico affuturum, cum per reuertentes certitudinem de puero accepisset. Turbatur cum rege maligno Iherosolima, non letatur. Expauescit et tabescit et negare erubescit, quod scriptura testatur. Nec minus horrendum PL 1626 scribarum sacrilegium quam Herodis impietas, quia proprio Iudei abutentes priuilegio, cum uisitationi diuine inuenirentur ingrati, causam sibi cum Herode fecere communem, cum hinc et inde

---

16 See Num. 24.8
17 Num. 24.24 (Vg: in trieribus de Italia)
3.2-4 Mich. 5.2 (Vg: et tu Bethleem Ephrata parvulus es in milibus Iuda ex te mihi egredietur qui sit dominator in egressus eius...)

---

18 finem Le
3.2 in om. e
5 que] qui e
10 et[1] om. L
12 sacrilegium scribarum O

impietas et infidelitas aduersus dominum et aduersus Christus eius fremerent et pariter in eius odio consentirent. Ecce alienigene a fluminibus Ethiopie ad paruulum Christum supplices ueniunt et filii dispersorum deferunt munera. Accedunt qui longe erant et qui prope recedunt. In loco humili et supellectile uili rex regum et dominus dominantium inuenitur, cognoscitur et ab aliis adoratur.

(4) Quia uero neminem in conspectu dei apparere uacuum antiqua lex edocet, preuaricatoribus legis abeuntibus uacuis, primitie gentium sacramentalia munera proferunt de thesauris et domino aurum et odoramenta presentant, profitentes ex ratione munerum de eo quem adorabant quid crederent, quid sentirent. In auro regem, in thure sacerdotem, in myrra incorruptibilem, quamuis passibilem, profitentur. Oblatio ista incarnati Verbi exponit misteria et breui subtilique indicio utriusque nature humane diuineque exprimit unitatem, quod proprium est cuique singulatim distinguens. Nam deo Patri, cuius regnum et imperium suis mundum replet splendoribus, in odorem suauitatis summus

---

17-18 Soph. 3.10 (Vg: ultra flumina Aethiopiae... filii dispersorum meorum deferent munus)
20 Apoc. 19.16
4.1-2 Ex. 23.15
4 Matth. 2.11
10-11 Cf. Ez. 10.4
11-12 Eph. 5.2 (Vg: tradidit semetipsum...)

---

15 infidelitas et impietas C aduersus[1,2]] -sum MTO aduersus[2] om. e
4.3 proferunt munera L
7 et post Verbi add. e
9 vnicuique e

sacerdos et pontifex Christus se obtulit, cuius caro passionis cremata carbonibus incensionis sue fraglantiam transmisit ad celos et usque hodie odor ille suauissimus in terrestri celestique ecclesia indeficiens perseuerat. Quod autem passibilitas, quam obediens deo uoluntarie suscepit, incorruptione firmata sit, uirtus mirre obuians corruptele suo probat effectu et uisibilium ratione munerum immortalitatis solide constat euidens argumentum.

(5) Adorato domino, magi hilares alio tramite in suam patriam reuertuntur, quia necesse est, ut qui corde credunt ad iusticiam, ore etiam confessi sunt ad salutem, deinde uias eligant artiores et se districtionibus mandatis obligent, quoniam per uias latas descensusque precipites itur ad inferos, per artas uero et difficiles reditur ad superos. Propter uerba labiorum dei religiosus quisque uias duras ingreditur et iugulator uolup-

---

5.1-2 See Matth. 2.12
2-3 Rom. 10.10 (Vg: corde enim creditur... ore autem confessio fit in salutem)
4-6 See Matth. 7.13-14
6-7 Ps. 16.4 (Vg: custodiri)

---

5.1 magi hilares. See J. Leclercq, "Jours d'ivresse", La vie spirituelle 76 (1947), p. 590, n. 73.
1-2 Adorato... reuertuntur. Cf. Augustine, De Trinitate IV.xii.15, ll. 9-13 (Mountain & Glorie ed., CCSL L, p. 180).
4 districtionibus. See John Cassian, De institutis coenobiorum IV.3.2 & V.38.2 (ed. J.-C. Guy, SC 190, pp. 124 & 250). See also Arnold, Hexaemeron, PL 189.1565B & below IX.13.9. .
4-6 per uias... ad superos. Cf. Virgil, Aeneid VI.126-128 (ed. R.A.B. Mynors, OCT, p. 231).

---

5.2 corde om. e
4 districtionibus] -oribus CBLOe, ad -oribus ex -onibus mut. PM (cf. Iohannis Cassiani De institutis coenobiorum IV.3.2 & V.38.2; Arnoldi Bonaeuallensis, Hexaemeron, PL 1565B) & infra, IX.13.9.

tatum stantem ex diuerso hostem securus aggreditur. Arta uia est castitas, trames strictus humilitas. Ieiunio affligi et carnem in seruitutem redigere scopulose sunt semite, sed ad patriam superiorem non nisi per meatus difficiles armati milites reuertuntur. Non est tutus ad Herodem regressus nec expedit cum his qui oderunt deum federa iungere nec de religione cum malignantibus inire consilia, quorum familiaritas infantiam Christi studiose persequitur et, antequam formetur Christus in nobis, in ipso pie conuersationis initio, ut extinguatur spiritus et suffocetur uita iusticie, penitus elaborat.

(6) Delusum se Herodes conqueritur, cum magos alias comperit diuertisse, quia molestissimum est principi tenebrarum, cum PL 1627 excogitatis laqueis temptatos quoslibet nouerit euasisse, et acriori inflammatus rabie in neces innocentium debachatur. Sic sanctorum persecutionibus tirannus crudelis illuditur, qui dum putat perdere quos occidit, melioris uite statum eis procurat et quod ille in perditionem molitur, hii utuntur pro beneficio, quibus luchra uite perpetue per hec momentanea dampna celeri compendio adquiruntur. Ecce paruuli isti, quos hostis nature pietatis inimicus, bestialis seuitie inaudite crudelitatis

---

10 I Cor. 9.27 (Vg: redigo)
13-14 Cf. Ps. 1.1
6.4 See Matth. 2.16

---

8 diuerso] ad- L
9 In ieiunio fort. O, Ieiuniis L
15 prosequitur e
6.1 titulum De nece i.m. rubricatum add. L
6 eis uite statum O
10 homo post inimicus add. L

monstrum Herodes occidit. Subito fiunt martires et dum uice Christi et pro Christo auulsi a matrum uberibus detruncantur, testimonium, quod nondum poterant sermone, perhibent passione et sufficit causa testimonio, licet nondum eloquio distinguatur. Ilico spiritus infantilis uasculi receptaculum deserens iam non tenelli corporis etatisque nouicie tempore tenetur, sed ab illis infantilibus coagulis anima expedita (adepta rationis et intellectus plenitudine) in occursum Christi festinat, a quo militie sue querens stipendium, ad lucis et pacis eterne premittitur gaudia et epiphanie sollempnia in celestibus celebrat nec in stelle alicuius lumine, sed in ipsa claritate diuine presentie gloriatur.

(7) Acta est natiuitatis sollempnitas. Sursum iubilantibus angelis, deorsum ex ore infantium et lactentium laus est perfecta, resonantibus usque ad celos uictorie tubis, et uersus est paruulorum uagitus in gaudium et luctus in iubilum, sequente non stellam, sed agnum exercitu innocentium et baiulante gloriosissimi triumphi sollempne uexillum. Nec potuit mundus inficere nuper agonem ingressum infantilem exercitum et pedes, qui nondum lutum calcauerant, urgens citatusque transitus non est passus

---

7.2-3 Ps. 8.3 (Vg: perfecisti laudem)
3 Cf. Iud. 7.20

---

13 perhibent] -bebant C, -bent ad -bebant mut. B
7.1 est om. O
2-3 perfecta est C
3 est om. O, postea add B, ut uid.
8 passus est B

ullis sordibus inquinari, sed in ipso uite initio tota illa innocua phalanx sine ullo integritatis detrimento ad solidioris uite translata est gloriam et que expectari poterat annorum elapsu rationis discretio, repente nullis iam etate illa temporibus subiecta omnis consummationis repperit finem et casuum accidentium mutabilitates euasit. Euigilauerunt sensus, quos sopor infantie opprimebat, displosisque palpebris intuiti lucem in momento assecuti sunt (que pacificis et mundo corde debetur!) beatitudinem et ascendentes per omnium uirtutum gradus sine doctrine humane exercitio cumulatam inuenere mensuram, ita ut in ordine sanctorum prothomartires primum habeant locum et secretorum conscii diuinorum propinquitate familiarissima clementiam dei pro nostris exorent laboribus, quos usque hodie funestus Herodes persequitur, quorum sanguine et morte diabolus delectatur. Hii itaque a cunabulis in celum translati facti sunt superni capitolii senatores et iudices, nonnullis ueniam obtinentes inmeritis assistuntque miserationibus et ultionibus diuinis, sed sepius agni, quem quocumque ierit prosequuntur, mansuetudine quam ira uel furore utuntur. Hii nuper cruore lac-

---

16 See Matth. 5.8,9
24 Dan. 6.7
26 Apoc. 14.4 (Vg: sequuntur agnum quocumque abierit)

---

10 phalans PMT
13 reperit O
15 intuitu O
18 inuenire L
20 consocii MT
23 cunabulis ex cunalibus corr. PM in om. MT
25 -que om. L
27 mansuetudinem C quam] quod L

PL 1628 teo loti primitias baptismi martirio consecrarunt, tradentes posteris formam, ubi necessitatis articulus excluserit moram, non minus ad lauachrum anime sanguinem efficacem quam sanctificatas uerbis sollempnibus aquas, maxime cum nec sanguis hoc elemento careat, sed aquarum motu per totum corporis alueum fluat. Spiritus uero sanctus et aquis et sanguini superfertur, qui subiectos sibi fouet et abluit. Quo baptizante idem occisio quod mersio operatur, qua extinctam peccati uitam uirtutemque emortuam utriusque rei continet sacramentum. Ipse enim est qui uel hoc uel alio modo, quicumque est ille modus, baptizat et ad idem refertur quod pura fide agitur per Christum dominum nostrum.

---

33 See Gen. 1.2

---

29 articulis T et fort. L
33 aque O
34 et post sibi add. L
36 utriusque] uirtus O

## IV. DE BAPTISMO CHRISTI ET MANIFESTATIONE TRINITATIS

PL 1628 (1) Non satis est quod angeli locuti sunt pastoribus, quod apparuit stella regibus, quod natiuitati et persone et loco consona prophetarum oracula, perfide gentis indicio, Christo perhibentia testimonium in unam conuenere sententiam. Sublimius et perfectius testimonium profertur diuinitus et ipse Pater inuisibilis auditur et aures humanas omnipotentis dei preclara uox penetrat et inaudita a seculo fidei species declaratur. Veniebat Christus ad baptismum Iohannis non egens lauachro, in quo peccatum non erat, sed ut sacramento perhennis daretur auctoritas et tanti uirtutem operis nulla personarum acceptio commendaret, quoniam remissio peccatorum, siue per baptismum siue per alia sacramenta donetur, proprie Spiritus sancti est et ipsi

---

1.1 See Luc. 2.9
1-2 See Matth. 2.2
2-3 See Matth. 2.5-6
8 Matth. 3.13
10 II Par. 19.7

---

Tit. Sermo de baptismo Christi et manifestatione Trinitatis Q
De baptismo domini et uoce patris L
1.4 sententiam conuenere LB
7 a om. L
8 Iohannis om. e
12 sancti spiritus Q

soli huius efficientie priuilegium manet. Verborum sollempnitas et sacri inuocatio nominis et signa institutionibus apostolicis sacerdotum ministeriis attributa uisibile celebrant sacramentum. Rem uero ipsam Spiritus sanctus format et efficit et consecrationibus uisibilibus inuisibiliter manum totius bonitatis auctor apponit et plenitudinem gratie unctionis diuine pinguedo sanctificationibus officialibus infundit et rem sacramenti consummat et perficit.

(2) Si in Petri uel Pauli nomine baptismi gratia donaretur, posset alius alio uideri sublimior et secundum ministrorum merita hec singularis gratia estimari, ut melior esset baptismus eius qui sanctior uideretur, et indignior esset qui ab eo acciperetur, quem non amplior estimatio commendaret. Hec et in alia sacramenta transferretur iniuria, ut non in eis unitas, sed diuersitas haberetur, si censerentur a melioribus fieri meliora et minus haberent utilitatis et ponderis, que fierent ab indignis. Sic eucharistia una alia melior et baptismus pro ministerio uel melior uel deterior crederetur. Absit hoc a fide catholica! Absit a religione christiana tante corruptionis

---

2.1 I Cor. 1.13 (Vg: in nomine Pauli baptizati)

---

1.13-20 Verborum...perficit. Cf. R.I. Moore, The Origins of European Dissent (New York, 1977), pp. 60-66.

---

13 efficientie] efficacie in ras., ut uid., scr. O
14 apostolicis institutionibus C
2.1 gratia baptismi C
3 gratia] gloria O
4 esse post sanctior add. C acciperetur] occide- C
5 et] etiam L
8 ponderis et utilitatis B

fermentum! Vna nobis fides, unus dominus, unum baptisma. Quod si ab indigno forte fuerit consecratum, non audet iustus iterare
14 uel corrigere quod semel est factum, quia per quemcumque fiat,
PL 1629 idem est nec hoc priuilegium meritis est datum, sed gratie et proprie sibi omnipotentia dei retinet hunc effectum. Neque enim Paulus pro nobis crucifixus est aut nos gloriamur in Paulo, sed in cruce domini gloriamur, cuius uirtus omnia peragit sacramenta, sine quo signo nichil est sanctum neque aliqua consecratio
20 meretur effectum. Hinc omnium sanctificationum exurgit sublimitas et profundum et longe lateque plenitudo diffunditur gratiarum.

(3) Quod ne ulla presumptio sibi doni huius in posterum gloriam uendicaret, in hoc sicut et in aliis domini nostri ecclesie sue prouidit benignitas, ut ipse baptizaretur a seruo, nec conserui conseruorum ministerium detrectarent uel aliquis
5 cuiquam in hoc opere preferretur, quoniam siue Iudas siue Paulus

---

11-12 See I Cor. 5.6; Gal. 5.9
12 Eph. 4.5 (Vg: unus Dominus una fides unum baptisma)
17 I Cor. 1.13 (Vg: est pro vobis)
18 Gal. 6.14

---

2.12-15 Quod si... idem est. Cf. Summa sententiarum VI.ix (PL 176.146B with comments in Luscombe, The School of Peter Abelard, p. 206).
18-20 in cruce... effectum. Cf. Arnold, Vita prima Bernardi II.iii.13,17,19,20 (PL 185.276C,278B,279B,280A).

---

13 forto M
17 in paulo gloriamur B
3.4 nec] ne LB, ad ne mut. C
5 opere hoc O Paulus siue Iudas O

baptizet Christus peccatum lauat, absoluit et delet. Sic Rachel at Lia Balam et Zelpham marito accommodant et liberos accipiunt ex uteris ancillarum. Scribe et pharisei in cathedra Moysi sedentes, dum agunt que ad cathedram pertinent, per omnia plenitudine potestatis utuntur et officium non uita tantis effectibus honoratur. Obediunt demones exorcistis. Christum, inquiunt, scimus et Paulum nouimus et in nomine Christi, quem Paulus predicat, adiurati egredimur. Vos autem penitus ignoramus. Ecce in nomine suo nichil questuarii peragunt exorciste nec se eis deferre ipsi demones profitentur. Sed nomen Christi, etiam per luchrorum sectatores, sue glorie retinet potestatem et fiunt in talibus causis ministri mercennarii sicut naues honerarie, que per pelagus euehunt institores, quarum rectores potius eorum quos ducunt pecuniis inhiant quam saluti. Et tamen mare seculi huius necessarios habet huiusmodi transuectores. Alioquin cessabunt commercia nec ex transmarinorum copia aliorum inopia habebit subsidium nec occurrent sibi solacia regionum, si uehicula tollantur de inuio et pelagus immeabile relinquatur. Sepe enim bonis malorum ministeria suffragantur.

---

3.6-8 See Gen. 29.24,29
8-9 Matth. 23.2-3 (Vg: super cathedram Mosi sederunt scribae et Pharisaei)
11-12 Act. 19.15 (Vg: Iesum novi et Paulum scio)

---

7 marito] O, per corr. L, maritis PMTCBe
12 et$^{2}$ om. L Christi om. O
13 predicat Paulus C Vos] Nos er, sed corr. d
16 sue om. O
18-19 rectores] uec- C
24 Sepe enim bonis] Bonis quippe sepe e

(4) Supponit itaque ceruicem sanctam manibus hominis humilitas redemptoris et licet plenam non habeat uirtutem, suscipit tamen Christus baptisma Iohannis. Preparabat uiam domino Iohannes lauando exterius corpora, ut precederet exterius lauachrum secuturum baptisma, in quo conferretur animarum ablutio et peccatorum remissio. Precessit quod erat ex parte, ut consummatio sequeretur. Horret tamen Iohannes et accline sibi esse sacrum Christi caput non patitur, quia maiorem a minore benedici antiquis regulis refragatur et criminalis ei uisa est usurpatio potestatis. De plenitudine Christi omnes accepisse (et se ipsum cum ceteris) predicarat Baptista. Ideoque deo hominem manus imponere iudicabat temerarium et lauare eum, in quo non erat peccatum, estimabat superfluum. Se ad soluendam calciamenti huius corrigiam confessus indignum formidabat exhibere prelatum, si ipse in magistro sine causa temptaret hoc agere, quod ab ipso
PL 1630
suscipere necessarium dinoscebat. Ideoque tremebundus humili satisfactione postulanti ministerium negat assensum, non quod obedientiam detrahat imperanti, sed quod iudicio suo seruo subdi non competat maiestati. Tu, inquit, uenis ad me et a te debeo

---

4.3 Matth. 3.3 (Vg: Domini)
7-8 See Matth. 3.14
8-9 See Hebr. 7.7
10 Ioh. 1.16 (Vg: eius nos omnes accepimus)
13-14 Luc. 3.16 (Vg: cuius non sum dignus solvere corrigiam calciamentorum eius)

---

4.1 itaque] ergo L
7 accliue e
11 et post deo add. e
17 satisfactione] excusa- O negauit O
19 inquis e, sed corr. r ego post et add. LO

baptizari? Cui dominus, Sine modo. Sic enim decet nos omnem complere iusticiam. Iohannis humilitas non arguitur nec uituperabile uisum est Christo simplicitatis diffugium, quod reuerentia, non importunitas suggerebat. In hoc igitur omnem impleri iusticiam asseuerat, si doctrinam precedat exemplum et honore se inuicem preueniant, qui maiorem et qui minorem obtinent locum. Et qui maior est fiat iunior et precessor sicut ministrator, si in unitate sacramentorum omnes simul conueniant, si pacis ecclesiastice federa non disrumpant.

(5) Baptizatus Christus nec ultra Iordanis retrorsum conuertitur. Aruerunt unctiones Iudaice, cerimonie putruerunt. Perpetuo lapsu baptismi gratia emanat ad posteros nec ulla uetustate siccatur. Adesse se tantis misteriis et presentiam suam dinosci dignata est sempiterna diuinitas celisque apertis in specie columbe Spiritus sanctus Iohanni se ipsum ostendens et intelligi uoluit et uideri et quietissimo illa[illegible]ens super Christum quieuit et mansit. Acceperat quippe familiare super hoc

---

19-21 Matth. 3.14-15 (Vg: ego a te debeo baptiza[illegible] et tu venis ad me)
25-26 Cf. Matth. 11.11
26-27 Luc. 22.26 (Vg: sed qui maior est in vobis fiat sicut iunior et qui praecessor est sicut ministrator)
5.5-8 See Matth. 3.16; Ioh. 1.32

---

21 implere B
23 igitur] ergo L
24 doctrina O
26 sicut post fiat add. L iunior] minor e qui post et add. LCB (hic per superscr.) est post precessor add. CB (hic per superscr.)
5.1 Baptizatur CBe (B per ras. ultimae syllabae)
6 Iohanni] ibi e se ipsum iohanni O
7 elapsu B

ab eodem Spiritu Iohannes responsum, quia super quem Spiritum sanctum sub hac specie uideret, ipse esset apud quem baptismi maneret auctoritas, qui mundi peccata tolleret, qui solus a nullo sanctificatus et cuncta sanctificans non tam interesset sanctificationibus et sacramentis omnibus quam patraret. Sed et uox Patris audita est celitus, Hic est Filius meus dilectus, in quo michi bene complacui. Ipsum audite.

(6) Huc usque, domine sancte Pater, non audiuimus te loquentem, qui multipharie olim patribus locutus es in prophetis et per angelos sanctos, quibus ad diuersa sepe ministeria a te legatio est iniuncta. Te ipsum non ita ante hoc tempus locutum audiuimus, ut personaliter tibi assignetur locutio quam proferres. Hanc uocem a paternitate tua delatam nemo est qui ambigat. Non est qui sibi hoc uerbum audeat arrogare. Non est in celestibus agminibus qui dominum Iesum suum audeat filium nominare. Certe sibi soli nota est Trinitas et solus Pater scit Filium Patremque nouit Filius nec a quoquam, nisi eo reuelante,

---

9 Ioh. 1.33
11 Ioh. 1.29 (Vg: tollit peccatum mundi)
14-15 Matth. 3.17, 17.5
6.2 Hebr. 1.1 (Vg: Multifariam... olim Deus loquens patribus in prophetis)
3-4 See Hebr. 1.14

---

12 cuncta] omnia O
6.3 sepe] substantie L, tres ultimas litteras superscr. C
ministeria] mis- e, ex mis- corr. P
4 non ita post tempus transp. O
5 assignaretur L
6 dilatam B
8-9 nominare filium O

est cognitus. In hac diuini magisterii scola Pater est qui docet et instruit, Filius qui archana dei nobis reuelat et aperit, Spiritus sanctus qui nos replet et imbuit. A Patre potentiam, a Filio sapientiam, a Spiritu sancto accipimus innocentiam. Pater elegit, Filius diligit, Spiritus sanctus coniungit et unit. A Patre nobis datur eternitas, a Filio imaginis eius conformitas, a Spiritu sancto integritas et libertas. In Patre sumus, in Filio uiuimus, in Spiritu sancto mouemur et proficimus. Conuenerunt simul sempiterna diuinitas et temporalis humanitas et eo tenore utriusque nature facta est unitas, ut impossibile sit quod PL 1631 iunctum est ab inuicem separari, sed Verbum et caro sic sunt una essentia, ut perfectam et integram sincera coniunctio faciat unitatem. Nec iniuria est, sed gratia dei, si quod minus uidetur digniori iungatur, cum inferior natura contumeliam probrumque peccati non contrahat, nec est minoratio maiestatis prouectio

---

9-11 See Matth. 11.27
17-18 See Act. 17.28

---

6.11 scola. Cf Regula Benedicti, Prologus, ll. 106-107 (ed. Schmitz, p. 11). See Christine Mohrmann, "La langue de saint Benoît", in ibid., pp. xxxii-xxxiv.
13-14 A Patre... innocentiam. Cf. Peter Abelard, Theologia 'Summi boni' I.ii.2 (edd. E.M. Buytaert & C.J. Mews, CCCM XIII, p. 87); Hugh of St.-Victor, De sacramentis I.iii.xxvi (PL 176.227C).
15-17 A Patre... libertas. Cf. Theodoric of Chartres, Commentarius Victorinus de Trinitate 97 & 112 (Häring ed., pp. 501 & 504).
17-18 A Patre... proficimus. Cf. Augustine, De libero arbitrio II.iii.7 (tr. G. Madec, BA 6, p. 276 with note on p. 559, where references to Plotinus can be found).

---

12 qui om. O
14 accepimus L
15 eligit Le

paupertatis nec altitudinem dei in aliquo humilitas dispensatoria dehonestat.

(7) Hoc testimonium auditum est, quia Filius dei est, quem Iohannes tenet in manibus, uerus homo, uerus deus, unicus Patris, in sua natura inuisibilis, in nostra uisibilis, ut fide et experimento fulciatur doctrina, dum et uisu et intellectu incarnati Verbi notitiam assequatur. Dilectus a Patre inmeritos nos dilexit. Vltro uisitationis sue nobis beneficium largitus est, ultro sanauit, ultro curauit, ultro libertate donauit. Etiam ingratos prosequitur hic amor et reuocat, neque tunc odit, cum corripit et flagellat. Vsque ad mortem Christum duxit dilectio et resurgens a mortuis caros habet, quibus tante caritatis affectum ostendit. Duo grata uocabula 'filius' et 'dilectus' (ipso deo dictante) nostris sensibus imprimuntur, ut communio nominum nos associet collegio munerum et tante dulcedinis nomina nostrum emolliant animum accendantque deuotionis affectum. Per omnia sibi Pater in Filio complacuit nec ulla in eo serpentis sunt reperta uestigia nec sacerdotii eius penituit deum, quoniam sacrificium quod in cruce obtulit sic in beneplacito dei constat

---

7.9 See Ioh. 13.1; Phil. 2.8
11 See Matth. 3.17
14-15 See Matth. 3.17
16 See Hebr. 7.21

---

7.2 uerus deus uerus homo L
3 in nostra uisibilis om. O
5 immerito e
7 libertate om. O
12 ut] ibi O
13 nostrum om. O

acceptabile et perpetua uirtute consistit, ut non minus hodie in conspectu Patris oblatio illa sit efficax quam ea die, qua de saucio latere sanguis et aqua exiuit, et semper reseruate in corpore plage salutis humane exigant pretium et obedientie donatiuum requirant.

(8) Dilecto Filio nos Pater precipit obedire (mandatum omni

---

19-20 See Ioh. 19.34
20-21 See Ioh. 20.20
8.1 See Matth. 17.5
1-2 I Tim. 1.15 (Vg: fidelis sermo... dignus)

---

19 hodie post illa transp. C ea] illo L qua] que L
8.1 Dehinc usque ad finem tractatus (Dilecto Filio... sincera uirginitas, infra, 9.13) om. edd. et substitutionem fecere sequentem (lectione codicum mss. in apparatum criticum editionis Oxon. descripta). Initialem litteram rubricauit e Huic dilecto filio tuo tu domine nos precipis obedire. Loquere igitur domine quia audit seruus tuus. Auditui meo dabis gaudium et leticiam. doctrinam tuam amplector suaue est michi eloquium tuum. viuus et efficax sermo tuus ancipiti gladio penetrabilior vsque ad diuisionem spiritus et anime mee attingens carnales et spirituales intra me separat et sequestrat affectus: et a vilibus preciosa distinguens quasi flagello de funiculis contexto de meo interiori templo quod tu inhabitas omnem nundinationem expellit. nec patitur in atriis tuis mercimonia columbarum: sed a sanctuario gratie tue omnem venalitatem excludit. Audio te cum irasceris. audio cum misereris: siue parcis siue flagellas iustum et bonum te predico. in ira supplico: in clementia gratias ago: nec sanctis sermonibus contradico. Loquere magister bone libenter te audio: et cum aduersaris mihi etiam in plagis et doloribus intelligo disciplinam. nec latet me te docente ad siccandas corruptionum mearum putredines prodesse cauterium et mundare cicatrices veteres sal discipline tue euangelio tuo medente infusum. precipis vt infundam corrupto pulmoni ysopum: [PL 1632] et spiritus tui suauitate epota totius malignitatis inflatio detumescat. A te deus bone humilitatem discentes quasi mansueta animalia quieto gressu te baiulamus sessorem. nequaquam sub hoc onere lassitudinem sed quietem inuenturi: quia iugum tuum non est graue sed leue. et lex tua et testimonia iusticie et precepta: timor et iudicia delectabilium in se rerum continent sacramenta. Lex tua docet vitare peccatum et corripit transgressores. et vt lotis mundisque pedibus in via immaculata incedant omnia premonstrat offendicula: et insinuat diuerticula quibus periculosi transitus euitentur: nichil impossibile: nichil iubet austerum. In quibusdam per legem tuam promissa premia nos inuitant. in multis pene proposite et sup-

acceptione dignum!), ut uocati in societatem hereditatis dilec-

---

plicia vel damna territos animos a scelerum retrahunt appetitu. Neque lex tua scripta a lege naturali in aliquo dissonant: sed reprobatio mali et electio boni sic anime rationali infixa sunt diuinitus: vt de hoc nemo recte causetur: quia nulli ad harum rerum prosecutionem deest scientia siue potentia: quia et quod agendum est scimus: et quod scimus facere possumus. Quod si impossibilia essent precepta tua vel tantis difficultatibus onerata/vel voluntas tua sic abdita: vt non posset intelligi quid a nobis tua expeteret altitudo: licet inuitus nemo peccet: posset tamen ex multis excusare delictum: nisi nobis et moderatio mandati et veritatis cognitio et agendorum distinctio auctoritate cognoscibili prouidissent: et simul se complecterentur possibilitas et facilitas et scientia et potestas. Precipis michi domine deus vt diligam te hic et possum et debeo et totum me et interius et exterius tibi esse iubes obnoxium: et de proximo iubes vt ad meam eum mensuram complectar. Gratias ago tibi clementissime deus quia quod queris a me prius ipse donasti: et quo modo tu me dilexeris si linguis hominum et angelorum loquar nec digne possum eloqui nec vniuersa complecti que michi gratie tue contulit amplitudo. Iustum est domine vt diligamus te: quia et ipse nos diligis: et iniquum omnino est vt te in aliquo dilecti tui offendant. Vere hoc mandatum legem complectitur et prophetas: et in hoc verbo omnium scripturarum volumina coartantur. Hoc natura. hoc ratio. hoc domine verbi tui clamat auctoritas. hoc ex ore tuo audiuimus. hic inuenit consummationem omnis religio: primum est hoc mandatum et vltimum. hoc in libro vite conscriptum indeficientem et hominibus et angelis exhibet lectionem. Legat hic vnum verbum et in hoc mandato meditetur christiana religio et inueniet ex hac scriptura omnium doctrinarum regulas emanasse: et hinc nasci et huc reuerti quicquid ecclesiastica continet disciplina: et in omnibus irritum esse et friuolum quicquid dilectio non confirmat. Non pertinet domine ad te/nec de tuis est qui te non diligit: nec diligit te qui scienter offendit. Dilectioni tue detrahit qui terminos a te positos transit: et euangelii tui decreta transgreditur et contemnit. [PL 1633] Non amat te qui pecuniam diligit: tibi et mammone nemo simul deseruit. Non pertinent ad te speciem pietatis habentes et negantes virtutem nec militant tibi negociorum huius seculi traiectores non audiunt te: sed sicut aspis aures suas obturant ne eorum corda verbum tuum penetret quotquot peccato seruiunt voluptatum carnalium amatores. Lex tua deus apostolorum et martyrum testimonio confirmata: paruulis tuis pauperibus spiritu quibus tibi regnum tuum dare complacuit sapientiam prestitit et letificauerunt animas eorum iusticie tue in quibus per eandem legem edocti vixerunt: et hoc dilectionis preceptum ita fidelium mentes illuminauit vt in pace et sanctimonia viuentes pacificis et mundis cordibus te viderent. et simul amor sanctus et timor castus perseuerantibus tibi studiis obedirent: vsque adeo tibi ascensionibus huiusmodi propinquantes vt fierent iudiciorum tuorum conscii et per ipsos tua et nunc et postmodum iudicia exerceres. Precepisti domine vt audiamus dilec-

tori nostro per omnia obsequamur et ad omnia, que fuerint imperata, dilectio letabunda respondeat. Olim Abraham de terra Caldeorum, simulac iussus est, incunctanter egreditur et in terra Chanaan hereditatem repromissam credulos prestolatur. Idem in mandatis accipit, ut dilectum filium iugulet, nec cunctatur, sed neque causam cur occidi debeat perscrutatur. Moyses aduena ad iubentis imperium sedentem in solio Pharaonem aggreditur et, nisi dimittat populum dei, multa regni discrimina comminatur. Obedit Samuel, ut abiecto Saul Dauid ungat in regem et reprobationis causam pretendit inobedientiam, dicens scelus esse ydolatrie nolle obedire et ariolandi peccatum minime adquiescere. Obedientia Dauid in regno locat et statuit. Saul rebellio deicit et prosternit. Sed et ipse dominus, qui magis in obedientia quam in uictimis delectatur, Patri usque ad mortem factus obediens

---

4-6 See Gen. 12.1; Hebr. 11.8,9
6-8 See Gen. 22.8
8-10 See Ex. 5.1
10-11 See I Sam. 16.13
12-13 I Sam. 15.23 (Vg: peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus idolatriae nolle adquiescere)
14 See I Sam. 15.11
15-16 I Sam. 15.22 (Vg: melior est enim oboedientia quam victimae)

---

tum filium tuum. gratias tibi agimus: quia nos eius magisterio commendasti. Nos vero ex precepto tuo eius doctrine nos tradimus informandos: et inherentes ei libenter eum duce spiritu sancto omni tempore audiemus. Dehinc etiam usque ad finem tractatus (Mandatum... uirginitas, infra, 9.13) omnino sine substitutione om. L
5 est om. O
13 minime] nolle B, sic mi in fine linea scr. C et in proxima linea nolle de linea superiori iterauit
14 deiecit O
16 et post delectatur add. O

nomen accipit quod est super omne nomen, ad quod omne genu flectitur et omnis altitudo curuatur. Ipse obedientie exemplar participes tribulationum consolationum facit consortes et in iudicio his, qui secuntur eum, pollicetur in regno consessum.

(9) Nos uero ad reddendum ei quod suum est tam ratio debiti quam auctoritas precepti stimulat et compellit. Vtilia quippe sunt et necessaria que mandantur. Nichil indecens, nichil impossibile euangelium iubet. Fastus ambitionis Christi dogmate tollitur, humilitas commendatur. In caritatis mansuetudine seminare iubemur in lacrimis, ut metentes in gaudio manipulos ad horrea deportemus. Esurire iusticiam et proximo misereri rationis et nature lex suggerit. Et si scripture sileant, nichil de gradibus ascensionum propria mandata definiant. Cumque sapientiam, que de sursum est, prius pudicam, deinde constet esse pacificam, ad uisionem usumque quietis eterne mundas et pacificas animas querit caritas, quas oleum in uasis habentes intus admittat et sponso presentet inmaculate uite sincera uirginitas.

---

16-17 Phil. 2.9-10
17-18 Cf. Is. 45.23
19-20 See Matth. 19.28
9.3-4 Cf. Matth. 17.19
5-7 See Ps. 125.5-6
7 Matth. 5.6 (Vg: esuriunt)
11-12 Cf. Matth. 5.8,9
12-13 See Matth. 25.1-13

---

19 facit consolationum B
9.3 nichil[1,2]] nil fort. O
4 Fastus per corr. tertiae litterae PM
13 presentet] repre- B, ad repre- mut. C

## V. DE IEIVNIO ET TEMPTATIONIBVS CHRISTI

PL 1633 (1) Anno tricesimo carnis assumpte baptizato domino in Iordane, postquam reuelante Patre quod Filius dei esset innotuit, non iam conueniebat eum putari filium Ioseph uel esse subditum illi. Nec tamen repente ad signa et miracula et doctrinam usus est potestate, sed interim auctoritatem continuit et antequam notum se faceret mundo, exposuit se temptandum diabolo, non ut diuinitatis integritas probaretur, sed ut temptatoris confunderetur presumptio, dum fame et lassitudine post ieiunium ueritas humanitatis pateret, que diuinitati associata omnino peccati sensu et consensu careret. Hac etate tempus doctrine insinuatum est rationabile nec ante has metas perperam inuadi magisterium data est forma, quia non competit annis impubibus sedere in cathedra et in primogenitis boum lege aratio est interdicta. Iam uero cum etatis et temporis ratio conueniret et ad

---

1.1-2 See Matth. 3.13-17
9-10 Cf. Hebr. 4.15
12-13 Cf. Ps. 106.32
13-14 See Deut. 15.19

---

Tit. Sermo de ieiunio et temptationibus christi Q De tribus temptationibus domini L
1.6 ad post se add. B (cf. GL 430) ut non L
11 inuadendi L

obediendum uerbo Christi mandatum celitus aduenisset, uoluit tamen sapientia dei primo erudiendos informare exemplo et contra temptamenta proponere documenta, ut audiret et uideret et sentiret humana rationabilitas quam insuperabilis sit uictrixque peccati, si libertas arbitrii libero moderamine dirigatur.

(2) Igitur desertum Christus ingreditur. Ibi suo, id est Spiritu sancto duce et comite, conuersatur. Locus secretus eligitur, quia solius dei iudicio ieiunia sunt agenda et singulariter inspectorem adiutoremque deum uolunt hec habere certamina. Neque in agonibus aliquibus periculosius militatur. Nulli religionis exercitio fraudulentius inanis gloria adulatur, nulli uirtuti fauor ita blanditur. Ieiuniorum sudoribus laus importuna se ingerit et subtilissimis aculeis penetrans animam, PL 1634 dum extollit, emollit et pungit, cum ungit. Virtutem in ypocrisim uertit et simpliciter inchoata peruertit. Quasi tinea, quod integrum erat rodit et occupat et sanctitatis fundamenta euellit et dissipat. Subtilissimum malum proprio laqueo hypocritam iugulat et propriis armis sanctitatem impugnat. Castigatio carnis spiritum inflat et macies corporis extenuatum arrogantem inpinguat. Contemptus ueenerationem uenatur, fames et

---

14-15 See Matth. 17.5
2.1-2 See Matth. 4.1
3-5 Cf. Matth. 6.16-18

---

2.5 militatur. See note above, I.14.14.

---

2.6 Nulli] -lo L
15 inpinguat ex inpugnat fort. corr. L, inpugnat T ueneratur L et ante fames add. CB

calamitas laudibus saturatur. Mens hoc ueneno imbuta in miseriis deliciatur et occupata hac scabie in ulceribus gloriatur. Religio fit superstitio et succedit ei ambitio subornata. Extincto spiritu, quatriduano cadaueri sole supersunt exuuie, uirtutis species exanimis et simulacrum sanctitatis. Tanta est hypocritarum dementia, ut fetoribus pro odoribus abutantur et preciosa uilia et aspera suauia arbitrentur et fauorum sapor omnium dulcedinum superet condimenta omnisque delira sensualitas contrariis delectetur. Propter hoc solitudo carens arbitris et heremus assentatorum satellitio uacua a ieiunante Christo eligitur, ut non cum carne et sanguine, sed cum spiritualibus nequitiis dimicetur et amotis ruinarum occasionibus homo cum diabolo colluctetur et soli sint in palestra Christus et antichristus, spiritus et antispiritus.

(3) Neque putet homo se euasisse pericula, cum in heremum uenerit, quia quanto subtilius tanto difficilius a temptatore inuaditur, qui cogitationum foribus assidens omnia uirtutum

---

18-19 Cf. Ioh. 11.39
26-27 Eph. 6.12 (Vg: spiritalia nequitiae)
3.3 Cf. Gen. 4.7

---

28 palestra. See John Cassian, Conlatio XIX.xi.1 (ed. M. Petschenig, vol. CSEL XIII, pars II, p. 545; quoted by Chr. Mohrmann, "La langue de saint Benoît", Benedicti Regula, ed. Schmitz, p. xxxiii).

---

18-20 sententiam Extincto... sanctitatis om. MTCBLO, dum eam exp. P. Sola ergo eam manifeste hab. e
23 dulcedinem B
3.1 enim post Neque add. L neque post se transp. O

genimina in ipso ortu strangulare molitur. Imaginem Christi delere cupiens adulterinos colores naturali pulcritudine superducit, claritatem spiritus interpolat et obnubit. Verum liberius anima expedita obuiat inpugnanti, ubi compedes impedimentorum defuerint et aspectus irritamenta non mouerint. Securiorque est congressus, ubi singula non uellicant dimicantem nec inebriant animum lenocinia uoluptatum. Honestius cum spiritu quam cum carne luctamur, quia carnis complexus fedas exalans nebulas eum, qui sibi adheserit, aliqua ex parte contaminat nec libidinum morsus quisquam euadit illesus. Flatus ille pestilens etiam longe positos inficit et hoc certaminis genus fugam potius quam assultum requirit. Et quia solent oratione et ieiunio demones edomari, munitio heremi cum huiusmodi armatura exemplo magistri recipit christianos. Quos etsi omnes diuersorium loci non excipiat, animi tamen omnino necessaria est solitudo, ubi (erecta specula) mens sibi insopita prouideat et detersa rubigine coruscantibus armis importunum hostem terreat et repellat.

(4) Ieiuniis uitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentie languent, fugitiue abeunt uoluptates. Extinguitur

---

15-16 Cf. Matth. 17.20
18-19 Cf. Ier. 31.21

---

4 genimina] germina in ras. scr. L  stransgulare PM, transgulare T
5 delere] deb- C  naturali om. O  pulchritudini e
13 euasit O  uocabulum in reproductione photomechanica illegibile super illesus scr. P
17-18 loci post excipiat transp. e
18 accipiat O

ardentis Ethne incendium et flammiuomi fornax Vulcani extincta intrinsecus montes conterminos non adurit. Ieiunium, si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat et tirannidem gule spoliat et exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit et artat et appetitus uagos distringit et ligat. Ieiunium, si humilitate ornetur, seruos dei mundi efficit contemptores. Ieiunium carnes azimas mundat et solidat et putredines, que ex adipe prodeunt, consumit et siccat. Ieiunium scripturarum deliciis pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, celesti pane nutritur. Danieli interpretatio somniorum reuelatur ieiunio et tres pueri de Babilonio illesi egrediuntur incendio. Moyses in monte quadraginta diebus cum domino perseuerans et dei familiare colloquium et legis ministerium ieiunio promeretur. Helias quoque eodem dierum numero abstinens in heremo conuersatur.

PL 1635

---

4.9 Cf. I Cor. 5.7
12-13 Cf. Dan. 2.19
13-14 Cf. Dan. 3.20
14-16 Cf. Ex. 24.18
16-17 Cf. III Reg. 19.8

---

4.3 Ethne incendium. Cf. Martianus Capella, De nuptiis Philologiae et Mercurii VI.647 (ed. A. Dick & J. Préaux, BT, p. 318.5). flammiuomi. Cf. ibid., I.70 (ed. cit., p. 33.8). fornax Vulcani. Cf. Virgil, Aeneid VIII.416-423 (ed. Mynors, OCT, p.295).

---

4.4 conterminos montes L
7 distringit] -tinguit e
13 babilonio ad -nico mut. L
15-16 misterium O
17 se post heremo add. C

(5) Vtilitas ieiuniorum temporibus christianis clarius patuit et a multis frequentata in plurimos se effudit. Quotquot uiros uirtutum uidimus, sine ieiunio non legimus ascendisse nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia precessisset. Quotiens aliquid a deo obtinere conati sunt, ieiuniis incubuere et lacrimis et pernoctantes in orationibus (ciliciis carni herentibus) supplices beneficia postularunt. Nec defuit prouentus, ubi ad pedes dei sacrificium contriti cordis offerens se prostrauit humilitas, sed prope fuit inuocantibus se deus et porrexit manum naufragis et subuenit afflictis. Si Moysen et Aaron et Samuelem hodie haberet ecclesia, cum 'inuocarent, exaudirentur et orantibus Iob et Noe et Daniele populo parceretur. Rarus hodie Finees, qui perfodiat impudicos. Rarus Moyses, qui occidat sacrilegos. Rarus Samuel, qui inobedientes lugeat. Rarus Iob, qui pro filiorum negligentia sacrificium offerat. Rarus Aaron, qui coram Pharaone comminationes diuinas edicat. Rarus Noe, qui his, quibus submersio imminet, archam

---

5.8 See Ps. 50.19
9 Ps. 144.18 (Vg: prope est Dominus omnibus invocantibus eum)
13 See Num. 25.7-8
13-14 See Ex. 32.27
14-15 See I Reg. 15.11
15-16 See Iob 1.5
16-17 E.g. Ex. 5.1

---

5.1 clarius om. O
3 uirtututum LB non post uidimus transp. O
4 magnum] magni B, ad magni mut. C
5 sunt om. O
7 inherentibus O
8 offerens] dif- L
13 perfodiat] -foret O

bitumine litam prouideat.

(6) Flens (cum apostolo) dico inimicos crucis, qui terrena sapiunt magistratus, quorum deus uenter est, qui in his, que dicere nefas est, impudentes letantur et gloriantur. Venerunt periculosa tempora, que predixit apostolus, in quibus uoluptatum amatores magis quam dei speciem pietatis habentes, uirtutem uero abnegantes inueniuntur prepositi innumerabiles, qui ieiunia et orationes nec digito mouent, in quorum manibus iniquitates sunt et muneribus eorum dextera honeratur. Frustra ab his querantur miracula, frustra auxilia implorentur. Non sunt idonei intercessores domini contemptores nec conuenienter ad placandum eum accedunt nec conciliant quem offendunt

(7) Efficax est oratio precedente ieiunio et sacris studiis antecedentibus non patitur postulatio deuota repulsam. Eligitur solitudo, ut soli deo uacans anima, cum in se per continentiam mactauerit uoluptates, purgatis affectibus ad celestia euolet et uidens deum oret et adoret et dulcedinis superne suauitatem pregustet.

---

17-18 See Gen. 6.22
6.1-2 Phil. 3.18-19 (Vg: inimicos crucis Christi quorum finis interitus quorum deus venter et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt)
4-6 II Tim. 3.4-5 (Vg: voluptatium... habentes speciem pietatis virtutem autem eius...)
7-8 Ps. 25.10 (Vg: dextera eorum repleta est muneribus)

---

6.1 christi post crucis add. LO
8 queruntur L
9 implorantur L

(8) Forma igitur ieiuniorum proposita fixoque exemplo, postquam dierum abstinentiam dominus consummauit, Sathan cum
PL 1636 esurientem uideret accessit. Retroactum tempus obtinuerat quies et secum sub silentii sera opus illud eximium saluator exegerat. Modo oblata famis occasione tumultuator de latebris prodiens foras egreditur et subdola professione quasi compatiens ei subuenire periclitanti nature hortatur. Si Filius dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Nec uult fateri nec presumit diabolus diffiteri Christum Filium dei, sed dubie suspenseque consulens tendiculas blandis innectit sermonibus, ut obaudientem sibi reddat obnoxium et se de compassionis specie reddat acceptum.

(9) Caro et lassitudo et cetera huiusmodi hominem testabantur. Virtutis integritas et uita carens omni peccato perfectius ei priuilegium ascribebant et diuinitas potentissima ex ipsis effectibus negari non poterat. Fuerant et ante Christum uiri insignes, prophete et sacerdotes, sed in peccatis concepti et nati nec originali nec personali caruere delicto. Et inuenta est in omnibus uel ignorantia uel insufficientia, in quibus erronei peccauerunt et eguerunt misericordia dei, per quam edocti et restituti gratias egerunt deo et ad plenitudinem iusticie

---

8.2-3 See Matth. 4.2-3
7-8 Matth. 4.3
9.2 Cf. Hebr. 4.15
7-8 Cf. Rom. 3.23

---

8.4 sub om. e  sera silentii O
9 suspenseque] dis- e
11 innoxium C
9.3 ei] etiam O
8 eguere e

multum sibi deesse confessi sunt et sperantes in deo nullam sibi soliditatem attribuere presumpserunt.

(10) Non ita Christus, in quo Verbi carnisque sic conuenit natura, ut nulla alteri ex altero iniuria deueniret, quia in carne socia nullam diuinitas maculam repperit nec secuta est nec precessit. Hec naturarum coniunctio diabolum excecabat, quia impossibile ei uidebatur uel quod esurire posset diuinitas uel quod tante tolerantie posset esse tanteque potestatis corporalis humilitas. Duplicem itaque inquisitionem sinuosa calliditate orditur, ut de Christo utrum naturalis Filius dei sit (ipso respondente) certitudinem habeat, ut cum deum confessus se fuerit, absurdum uideatur quod deus esuriat et in quamcumque partem se responsio uerterit necessitas conclusionis occurrat. Si Filius dei es, tibi non competit esurire. Quod si esuris, manifestum est Filium dei non esse, quem uiolentia necessitatis communibus indigentiis intercludit. Succurre, inquit, necessitati, si potes, alioquin deficies: et presentes lapides in panis muta substantiam. Sic enim fiet, ut euadas periculum et, si hoc potueris, probes te deum. Non erat digna responsione questio malignantis. Neque enim tegnas diaboli dominus ignorabat, sed diuino cauillatori satisfecit eloquio, subtilissimo dogmate edocens corporis et anime uite propriis

---

10.1 christo L verbo er, sed corr. d
5 uel[1] om. O quod] quo er, sed corr. d
8 dei filius O 9 se confessus B
13 te post est per superscr. add. L
18 tegnas codd., intellige tech-

alimoniis deberi subsidia et cibum anime, id est Verbum dei, eduliis corporalibus preponendum, ut citius attentiusque menti prouidendum quam uentri.

(11) Nec opus erat, ut hoc facto insidiatori innotesceret Christus, quia nullo signo eius poterat inuidia commutari, cuius incorrigibilem iniquitatem desperatio sigillauit. Superfluum igitur erat ad suggestionem eius ibi nulla profutura miracula operari, cum satis esset diligenter consideranti, quod esurientem PL 1637 cibi non superabat appetitus et desiderii motus defectio non esset, sed uirtus. In nullo Christum aliqua coegit aut dominata est ei necessitas, qui proprie moderamine uoluntatis disposuit et persoluit quod exegit humanitas. Sicut in ipsius uoluntate fuit consecrare ieiunium, ita et in potestate fuit tempore oportuno sumere cibum, quod utique nec ministerio nec consilio diaboli fuerat ordinandum, quia et abstinentie et refectionis penes ipsum erat et arbitrium et facultas. Itaque nichil certitudinis seductor extorsit, sed dubius incertusque dimissus est. Nec obtinuit, ut se proderet Christus miraculo uel intemperanter ad cibum properans obediret seductoris consilio, quasi tunc primum quid fieri oporteret data doctrina acceptaque sententia.

---

10.21 Cf. Ioh. 6.35

---

22 ut] et MO
11.2 inuidia poterat CBL
11 consilio nec ministerio L
14 incertus dubiusque O

(12) Repulsus igitur auctoritate scripture et propositi firmitate defecit scrutinio. Nec tamen alia aggredi uia destitit et falsatis argumentis prioribus alia subiciens, quibus ab eo consentaneas sibi responsiones aliquas extorqueret, adiecit. Eo igitur supra templi pinnaculum constituto, quem gula non potuit, uana gloria subuertere nititur.

(13) A multis ambigitur utrum fuerit hec translatio corporalis et, si de loco ad locum se Christus transferri permiserit, eo modo quo Abacuc de Iudea in Caldeam delatus est et Philippus de Azoto in occursum eunuchi, qui reuertens de Ierosolima non intelligens Ysayam codicem reuoluebat. Sed quod corporaliter eum diabolus tulerit uidetur inconueniens: quod humeris eius saluator insederit et pro uehiculo usus sit, quem precipitatorem sciebat, uel ei ferendum se commiserit, cuius insidias agnoscebat. Suo itaque Spiritu eum credendum est ductum et in deserto et super templum, ut utrobique eum diabolus assumeret ad temptandum. Et localiter quidem in deserto prima fuit temptatio, sed ceteras eo modo circumduxit temptatoris astutia uel circumduci passa est patientia saluatoris, quomodo

---

12.1 See Matth. 4.4
4-5 See Matth. 4.5
13.3 See Dan. 14.32-38
4-5 See Act. 8.26-40

---

12.2 aggredi alia L  uia aggredi O
4 abiecit MTO
5 pinnaculum templi LB (hic per superscr. uocabuli posterioris)
13.3 delatus] trans- L
7 eo post et add. L

Iezechiel, cum super fluuium Chobar sederet, Ierosolimam raptus in spiritu ciuitatem edificat et metitur et muros et templum instaurat. Hoc modo super culmen templi Christus erat in spiritu, sciens quid antispiritus affectaret, et hosti se de uana gloria pulsaturo oportunitatem parabat.

(14) Hoc igitur occasione loci hortatur et consulit, ut in urbe sancta et frequentia populorum, quasi nouus funambulus in excelso pendulus, se deorsum ad spectaculum uulgi iactet intrepidus, addens ex testimonio scripture angelorum affutura suffragia, que ruentem exciperent et conseruarent illesum. O execrabilis diaboli malitia! o stulta nequitia! o insensata uersutia! o presumptio excecata! Putabat malignus quem gula non uicerat uana gloria superari! Experientia quippe rerum didicerat et in multis probauerat uitiorum uictores sepe nugis laudationum corruptos et cognatum propinquumque esse uirtutibus malum adulationem, nec facile quemquam posse euadere, quin libenter

---

13-16 See Ez. 40-48
14.1-4 See Matth. 4.6
4-5 See Ps. 90.11-12

---

14.7-8 gula... uana gloria. See John Cassian, De institutis coenobiorum V.3 & XI.1 (ed. Guy, SC 109, pp. 192 & 428).

---

14 super fluuium] superfluum L
17 antispiritus] ante spiritus e, sed. corr. Pamelius se om. L
14.1 Hac MTOLe igitur] ergo C
2 funambulus] funerabulus e, funebulus r, corr. d
3 iacet L
9 sepe] sue L laudationis O
10 propinquamque L
11 euadere] uadere L

assentatorum canticis porrigat aures et laudatorum modulationibus
PL 1638 delectetur. Et sicut rarus est aut nullus, qui de se mala dici equanimiter ferat, ita rarus est qui non bene de se uelit sentiri et se, si recte uiuit, stantem in uite rectitudine non diligat estimari. Quod si opera uirtutum foras exierint, rarus est qui hominum iudicia conspuat et laudes humanas contempnat. Hoc generale malum in humano genere Sathan putabat ex precedentis occasione uictorie suggerere saluatori, ut popularibus laudibus uellet attolli et facere sibi nomen iuxta nomen magnorum qui sunt in terra, si geminato miraculo ieiuniorum constantia innotesceret populo et uectoribus angelis sine offendiculo sustentatus se Filium dei tam potenti abstinentia quam angelorum obedientia comprobaret.

(15) Huiusmodi consiliis filios hominum Sathan corrumpere consueuerat et robustis uirilibusque animis etiam huiusmodi cogitatus immittit et, si ab ingressu mentis arceatur (renitente consensu), aliquid tamen de spurcitia sua ibi euomens abominationum horrore nauseare compellit. Sic (ut aliquid poeticum inseram!) temulentus Ciclops illiciti coniugii appetitor, licet a Pallade repellatur, in gremio tamen Erictonium

---

22 See Ps. 90. 11-12

---

12 aurem O
21 ieiuniorum] uirtutum C
15.1 sathan filios hominum C
5 abominationum] ab omni nationum CBL (cf. P, qui sic scr. abōinationum) horrore] errores O
6 tremulentus omnes codices mss. et e, sed corr. r

fundit et, incorrupta Minerua, superest tamen deforme monstrum nec omnino affectata scelera in memoria moriuntur.

(16) Non temptabis, inquit, dominum deum tuum. Hoc in Deuteronomio scriptum est. Ecce lex legi obicitur et Sathan auctoritate scripture abutens, malus legis interpres, precipitium quasi ex ratione mandati hortatur, sed intellectus fallax et falsus ueritate sincera confunditur et generali edicto interdictum ostenditur, ne dum patet in quibuslibet angustiis quilibet exitus, deus ulla presumptione temptetur. Alia explorator malignus argumenta conatur adducere et ad summam cumulumque nequitie sue continentem et humilem oblata aggreditur potestate et ostensa mundi huius sublimitate et gloria, quasi indignum sit tante auctoritatis doctorem et insignum operum patratorem ignobile et contemptibile scemate obumbrari, et dominatione

---

16.1 Matth. 4.7
1-2 See Deut. 6.16
10 See Matth. 4.8

---

15.5-8 temulentus Ciclops, etc. Cf. Hyginus, Fabulae CLXVI (ed. H.J. Rose (Leiden, 1934), p. 116f.); Augustine, De civitate Dei XVIII.xii (LCL, vol. V, p. 404); Lactantius, Divinae institutiones I.17.11-14 (CSEL, vol. XIX, pars I, p. 66); Fulgentius, Mitologiarum II.xi (ed. R. Helm, BT, p. 51f.). Other references can be found in Apollodorus, vol. II, tr. J.G. Frazer, LCL, p. 90, n. 1.
16.8-9 ad summam... sue. Cf. John Cassian, De institutis coenobiorum XII.5 (ed. Guy, SC 109, p. 456).

---

8 superest] -et O, ex -em corr. B
9 effectata L
16.1 inquit om. O
5 confunditur sincera CB edicto generali O
9 nequitie] malitie B et humilem] humilemque B ablata B
11 insignum] -ium e, ad -ium mut. C (cf. GL 79.2)
12 ignobile, contemptibile] -li, -li CBLOe (cf. GL 79.1)

uniuersorum usuque animum dignum honore sollicitat et daturum se omnia pollicetur, si ei pro tanto munere gratias agat et procidens adoret tanti culminis largitorem.

(17) Solent uiris uirtutum huiusmodi prestigia se offerre et, testimonium religionis conscientia prohibente, cum ab aliis digni honoribus iudicentur, facile adquiescunt et tam proprio quam alieno fascinati iudicio a rectitudine corruunt euersaque cathedra mentis humo fractis ceruicibus colliduntur. Repenteque et subito quod multis erat partum sudoribus (ambitione irruente) oblitteratum est et turbinis huius impetu auulsum est quicquid antique religionis labor meruerat.

(18) Malum hoc Adam in paradiso pulsauit et strauit, cum subiectionem, quam deo debebat, fastidiens appetiit dominatum. Et cum uellet esse sicut deus, sine deo se uidit et nouit et conspectam carnis sue abhorruit feditatem, quam licet operiret, PL 1639 manens tamen perpes ibi contumelia stetit et hesit. Ad suasionem diaboli animam uanitati subiectam deiecit ambitio poteratque exterminio eius posteritas didicisse, quam misera mutatio fuit de

---

14-15 See Matth. 4.9
18.3 See Gen. 3.5
4 See Gen. 3.21
6 Cf. Rom. 8.20

---

14 ei post munere transp. CBL
17.2 perhibente CBO (C fort. per corr.)
3 iudicantur L
6 multum e
18.3 esse] rem L
4 sue] eue e
5 ibi perpes L

deliciis ad spinas et tribulos emigrasse et rastris ligonibusque auaritiam condempnatam. Hoc malo restitit et resistere nos saluator edocuit, ut soli deo subiectus sit homo, quantumcumque profecerit, et in ipso, immo ipse sit substantia nostra et pateat nobis, quod sicut peremptoria est altitudo quesita, ita et periculosissima est oblata, non quod potestas, que ex deo est, sit dampnabilis aut ordinatio diuina peccatorum sit obstetrix, sed quod excellentiam, cuius Spiritus sanctus auctor est, ita debet complecti humilitas, ut qui uocatus est superius nesciat se sublimem et per omnia agnoscat conditio conditorem et gratia largitorem.

(19) Gloriabantur aliquando discipuli et complacebant sibi in miraculis, gratulabundi quod eis etiam demonia obedirent. Sed repressa est (increpante domino) simplicitatis eorum presumptio. Videbam, inquit, Sathanam quasi fulgur cadentem de celo, his uerbis eorum animis intimans, quia ante hoc temporale initium ipse in principio, immo ipse principium ens apud deum ante hominis conditionem superbientis diaboli ruinam uidit et affectate dominationis ambitionem deiectionis eius fuisse causam, nec

---

8 Gen. 3.18
14 Cf. Rom. 13.1-2
19.2 Luc. 10.17 (Vg: subiciuntur)
4 Luc. 10.18 (Vg: sicut fulgur de caelo cadentem)
6 See Ioh. 1.1
7 Cf. Is. 14.12
8 Cf. Apoc. 12.7

---

9 Hoc] Huic LO
17 congnoscat O
19.4 cadentem per corr. alia manu P, descen- e
5 temporalem M

in hoc gaudendum esse, si quis prerogatiua celsitudinis donaretur, sed hanc esse certam stabilemque ueri gaudii metam, si uocatio nostra iustificatione muniretur, et tunc demum ratum constare beatificationis prouentum, si huius ordinis scriptura in conspectu dei indelebilis seruaretur.

(20) Hoc igitur attendentes, quod non in nobis quasi ex nobis sufficientes sumus, sed ex domino sufficientia nostra est, contentos solo deo necesse est ei esse omnes acclines, cui totum debemus quod uiuimus, quod mouemur, quod sumus. Qui de plenitudine sua nobis interim, prout cuique opus est, donationes partitur, donec ad cumulum perueniat copia consummata, usque adeo conferta coagitataque mensura, ut nichil uel accedat amplius uel recedat, sed in cognitione dei certum finem stabilemque metam omnes et anime et corporis obtineant appetitus. Frustra itaque regna huius mundi transitoria et mutabilia immutabili et eterno regi ostendit uel promittit diabolus, cum ipse dicat regnum suum de hoc mundo non esse, non quod creationem suam remouens demonum subiecerit potestati, sed quia in his qui amorem mundi dei amori preponunt, non dignetur diuinitas sibi facere mansionem et

---

20.1-2 II Cor. 3.5 (Vg: non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis sed sufficientia nostra ex Deo est)
4 See Act. 17.28
7 See Luc. 6.38
11-12 Ioh. 18.36 (Vg: regnum meum non est de mundo hoc)
14 Cf. Ioh. 14.2

---

20.2 domino] deo B
3 contenti L accliues e
6 copia] copula C usque adeo om. O

impossibile sit eos a deo regi, qui se diabolo tradiderunt, quia Christi et Belial nulla est participatio nec aliqua iusticie cum iniquitate potest esse communio.

(21) Regnat sane malignus spiritus in filiis diffidentie, sed eo modo quo satellitiis perditorum hominum preest, qui in malitia potentissimus inuenitur et qui crudeliori tyrannide depopulari potest et conterere quicquid sibi inuenerit obuium et persequi quod uidet in fugam conuersum. Regnum hoc non est nature, sed malitie. Persecutio est, non defensio et tota huius potestatis uirtus in mortem dampnationemque eorum, qui sub hoc
PL 1640
principe militant, elaborat. Regnum hoc munitur uitiis, ambitur flagitiis. Turres eius sunt crimina, arma quarumcumque turpitudinum molimina. Huius regis thelonearii sunt pauperum oppressores, tribuni seductores, prefecti iudiciorum peruersores. Cubicularii eius sunt questuum aduncatores, mercimonii traiectores, erarii sacerdotes, nummularii doctores, conducticii defensores, lingue subdole uel consilii locatores, uenales auxiliarii, bilingues causidici, concinnatores mendacii, fab-

---

16-17 See II Cor. 6.14-15
21.1 Eph. 2.2 (Vg: filios)
15 Cf. Matth. 11.8; Ez. 16.10

---

15 impossibilem M tradidere e
21.1-5 sententiam Regnat... conuersum om. e, oculo scribae seu calcographi fort. de Regnat ad Regnum transiliente
8 militant principe L
12 sunt eius B adunatores L
13 erarii] exarii e, sed corr. r
14 consilii] -liarii L

ricatores peccati. Vestiti mollibus, amicti discoloribus in domo huius regis sunt, qui paludamentis talaribus pauimenta uerrentes capillis muliebribus se in feminas transfigurant et dignitatem uirilem non sine nature iniuria dehonestant. In hoc regno sunt quicumque ueritatem dei commutant in mendacium, quicumque quasi in taberna uitiorum precones uenales animas inpurissimis demonibus corrumpendas exponunt. Hic uaras manus cupidi muneribus complicant. Hic genu flexo concupiscentie sue quisque ydolum colit et proprie libidinis adorat simulachrum.

(22) Non hec te, domine Iesu, gloria mouet. Non huius mundi tu tenes imperium. Non horum cupidine tu cadis aut prosterneris. Non adoras malitiam. Non peccato subiceris, qui seruis tuis demonia subdis et omnem huius mundi gloriationem destruis et confundis. Insanissime Sathan, qua fronte, qua lingua ausus es dicere saluatori, ut ante te qui stat inflexibilis et immobilis caderet, ut te dampnatum ipse qui te dampnauerat adoraret? Quis

---

18-19 See I Cor. 11.14-15
20 Rom. 1.25 (Vg: qui commutaverunt veritatem Dei in mendacio)
22.3-4 See Luc. 9.1

---

21.16 Vestiti mollibus. Cf. Bernard of Clairvaux, Apologia ad Guillelmum abbatem X.26 (LTR, vol. III, p. 102, l. 23)

---

17 uerrentes] verten- erd, sed iam ante Pamelium corr. aliquis castigator
21 tabernacula MT
22 uaras] auaras MTOLe, ad auaras mut. CB (cf. Ovid., Metamorphoses IX.33-34, LCL, vol. II, p. 4, tenuique a pectore varas/in statione manus et pugnae membra paravi) cupidis O
23 complicat L 24 adorant O
22.1 mouet] manet L 8 fuit hec CBO

ausus, quam impudens hec fuit presumptio? Quid desperate sperasti? An Filium dei putabas posse tecum apostatam fieri? Si de mundo uisibili, id est celo et terra, et de his que in eo aguntur, te iactas habere dominium, nec celi nec terre tu conditor nec solem moues nec cursum das syderibus nec per te uoluitur firmamentum. Nec uides aut intelligis deum nec ullum tibi est cum celesti militia consortium uel aliquem habes ad superioris mundi claritatem accessum. Huius inferioris mundi tua est scabies, tua languenti sunt ulcera. Hec scalpis, hec impurus ablingis. Si quid uitii est, si quid coruptele, tu cadaueribus assides. Tu contrectas putredines, tu distemperas feces, tu uersas fetores. Tu spiritus nequam, tu in pistrino seculi huius fermentator inmundus, tu sanctitatis corruptor et simplicium perturbator, tu incendiator libidinum et omnium turpitudinum adinuentor. In his regnas, quos inquinas, et in his quos polluis, dominaris. Fornicatores et adulteri te habent suggestorem, te habebunt tortorem. Te quoque cum illis ultricia incendia concremabunt.

---

19 I Reg. 16.14; Act. 19.12,15; cf. Matth. 12.45
19-20 Cf. I Cor. 5.6

---

9 tecum post dei transp. L
10 eo] eis LB
14 militia celesti L
16 languentis Oe, languentia L
17 quid[1,2]] quod L
19 pistrino] pristino LO (ille in ras.)

(23) Stultis uanisque promissionibus nullus a corde christiano dari debet accessus, sed primis titillationibus obuiare debet abigens manus. Nec foueri debet coluber, donec in draconem formetur. Mendax est diabolus et his qui sibi obtemperant multa se daturum promittit. Malum hoc in uniuersa ecclesia euagatur et communis pestilentia innumerabiles occupat, PL 1641 ut pro gloria huius mundi qui liberi erant se uendant in seruos et per uitia ad seruitia deputentur et obligati pacto cyrographum subiectionis conscribant diabolo. Per omne nefas uoluptates emuntur et per omne scelus copiose libidines exquiruntur. Iudas ille proditor uenditurus magistrum pretaxatum pretium a principibus exigit sacerdotum. Quid michi, inquit, uultis dare et ego eum uobis tradam? Vsque ad mortem domini amor luchri se ingerit nec uite saluatoris questus desiderium parcit. Etiam in sinu sacerdotum ambitio dormit. Ibi sub umbra recubat, in secreto calami se fraudulenter occultat. Symon apostolorum temporibus uenalem putans Spiritum sanctum Petrum donis aggreditur et temptat emere potestatem, per quam plura luchretur. Hec sacrilegii

---

23.3-4 Cf. Eccli. 21.2
4 Ioh. 8.44
8-9 Cf. Col. 2.14
12-13 Matth. 26.14-15 (Vg: vultis mihi dare... vobis eum tradam)
15-16 Iob 40.16
16-18 Act. 8.18ff.

---

23.3 ambigens L
9 conscribat L
12 exegit e inquit michi L
13 uobis eum C
14 sinum MT
16 calami] tal- e, chalami CB (hic per corr.)

forma per omnia officia gradusque discurrit et nichil intemptatum ambitio pretermittit. Nec dubitet quisquam diaboli hec esse negotia et nundinatores eius quicumque hec exercent commercia nec quicquam huiusmodi ab eo, nisi premissa apostasia, donari. Nichil funestius comparatur quam execranda dulcedo libidinum et abominabilis gloria luxuum, per quem immundus spiritus ab immundis et discolis adoratur.

(24) Inuerecunde temptator ambitiosos aggreditur et condicione pernitiosa premissa talia pollicetur, ultra que extendi non possit cupiditas, regnorum scilicet omnium monarchiam et uniuersitatis dominatum, ut in omnibus mundanis unus homo quasi deus habeat potestatem et uni omnia subiecta sint et generale uectigal excellentie principali cuncta persoluant. Quid ultra cupide queris? Quid amplius auare desideras? Numquid et sic potest impleri ambitio tua aut satiari potest fames tua, offa huius mundi iniecta dentibus tuis et faucibus tuis uniuersa rerum massa intrusa? Mundum habes et deum non habes. Quid enim facies? Mundus transit. Deus autem idem ipse est. Tu uero, qui cum deo non stas, necesse est, ut cum mundo pereunte dissoluaris

---

22 quicquam] quis- per corr. L
23-25 sententiam Nichil... adoratur om. e
23 libidinum dulcedo C
24 quem] que Oe
24.1 Inuerecundus L
2 per uitiosa MT, ut uid.
9 et om. e
10-11 Quid enim facies om. e
11 transibit e

et cadas. Peremptoria sunt hec consilia que tibi talia pollicentur, in quibus te necesse est aut uomitu aut ruptis interire uisceribus. Sed et pretium quod petitur, ut diabolum adores prostratus et eum tibi deum constituas, quem non dubitas seductorem, quid sequetur premonstrat, quia si consenseris ut concedas, casus tui te non potes excusare inprouidum, cum ipse tibi casum et ruinam prenominet et precipitium exigat, qui tanti se facit nundinatorem culminis et tante tibi promittit fastigia potestatis.

(25) Regnum Christi non est de hoc mundo. Regnum celorum tibi deus promittit. Ipsum solum adora. Ipsi soli memento, ut seruias, qui (repulso temptatore) te quoque gloria et honore post uictoriam coronabit, si in iusticie rectitudine steteris nec falsis promissionibus obtemperans ad ueneration̄em diaboli damnationis eius factus particeps incurueris.

---

24.12-13 Cf. II Pet. 3.11
14-15 Act. 1.18
15-16 Cf. Matth. 4.9
25.1 Ioh. 18.36 (Vg: Regnum meum... mundo hoc)
3-4 Cf. Ps. 8.6; Hebr. 2.7,9; I Pet. 5.4

---

11-13 hic duo sententias sequentes (Deus... cadas) om. e et sqq. subst. tu cum eo qui non stat cades transibis et rues
17 quid... quia om. e
18 tui] cui MTOB
25.1 igitur post Regnum add. O
2 soli om. C
4 steteris] testeris e, sed corr. r
5 et post obtemperans add. CO

## VI. DE CENA DOMINI

## ET

## PRIMA INSTITVTIONE CONSVMMANTIS OMNIA SACRAMENTI

PL 1641 (1) Suscitati Lazari Ierosolimis increbuerat rumor et tam sollempne miraculum ad uenerationem Christi excitauerat populum.

PL 1642 Vnde et ei ciuitatem ingredienti cum ramis palmarum obuiam processerunt sedentemque super asinum resonantibus laudibus gratulabundi introduxerunt in urbem, regem Israel confitentes et acclamantes filium Dauid in nomine domini aduenisse, cuius eternum imperium prophetarum uaticinia antiquitus conclamarant. Nec latebat dominum, qui sciebat omnia, quod in uie illius confinio de torrente passionis erat bibiturus et ex ea ueneratione,

---

1.1-2 See Ioh. 12.1,9,17,18
3-6 See Ioh. 12.12-15 8 Cf. Ioh. 21.17
8-9 See Ps. 109.7 & below XI.6.5-6.

---

Tit. sic PM sacramenti omnia consummantis sic transp. CR sacramenti] -tis T, -ta e Sermo in cena domini de prima institutione consummantis omnia sacramenti Q Sermo de cena domini recentiore manu in uacuo spatio exhib. L
1.1 in ante Ierosolimis add. Q increbuerat] -puerat exhib. omnes testes praeter L, qui -bruerat scr. (cf. Virgil., Georgica I.359, nemorum increbrescere murmur et Aeneis VIII.14, late Latio increbrescere nomen)
8 illius] eius C

que impendebatur ei a plebe, inflammandam amplius inuidiam magistratuum et animos exacerbatos uehementiori insania perturbandos et conspirationis maligne non ultra posse occultari consilia nec differri amplius, que de eius interitu cogitarant. Sed uolebat pius magister, cum iam dampnationis sue dictaretur sententia et prope esset, ut figeretur in cruce, sue dare indicia potestatis et qui animam Lazari reuocauerat ab inferis et quatriduano mortuo reddiderat uitam dinosceretur uirtute diuina (non humana) tantum opus patrasse et impossibile esse suam animam ab inferno teneri, qui alienam potestatiue extraxerat, nec se necessitate, sed obedientia urgeri ad mortem et uitam, quam aliis reddebat, ad se quoque, ubi iuberet, ilico redituram.

(2) Finem igitur legalibus cerimoniis impositurus parari sibi uoluit pascha et ex consuetudine legis ea queri, que sollempnitas exigebat: agnum assum, panes azimos et lactucas agrestes. Non oportet esse fermentarios noui testamenti ministros. Puras sincerasque mentes sanctum querit conuiuium. In ueru crucis boni odoris assatio omnem excoquat carnalium sensuum cruditatem et induret solidetque mentis affectus. Nec in

---

9-13 See Ioh. 11.46-53
16-17 See Ioh. 11.1-45
20 Cf. Phil. 2.8
2.1 Cf. Hebr. 10.1,12 1-2 E.g. Matth. 26.17-19
3-4 See Ex. 12.8

---

2.5-7 In ueru... affectus. Cf. Arnold, De vii verbis Domini in cruce VI (PL 189.1714A)

---

10 ei om. O
11 exacerbato O
15 esse CO figeret O, ut uid.
16 reuocauit O

ecclesie sancte sacrificio ulla sit macula, sed pura simplicitas et innocentia uite in una ecclesie catholice domo a fidelibus de Egypto egredientibus (transito Mari Rubro) lotis Christi sanguine affectibus offeratur.

(3) Cena itaque disposita inter sacramentales epulas obuiarunt sibi instituta antiqua et noua et consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis. Nec iam ad elaborata impensis et arte conuiuia populi inuitantur, sed immortalitatis alimonia datur a communibus cibis differens: corporalis substantie retinens speciem, sed uirtutis diuine inuisibili efficientia probans adesse presentiam. Significata olim a tempore Melchisedech prodeunt sacramenta et filiis Abrahe facientibus opera eius summus sacerdos panem profert et uinum. Hoc est, inquit, corpus meum. Manducauerant et biberant de eodem pane secundum formam uisibilem, sed ante uerba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat et uite corporalis subsidium ministrabat. Sed ex quo a domino dictum est: Hoc facite in meam

---

9-10 See Ex. 14.21-22
3.3-4 See Matth. 26.26-29; Marc. 14.22-25; Luc. 22.20
8-9 See Gen. 14.18-20; Hebr. 6.20, 7.1-28
9 Cf. Ioh. 8.39
10 Luc. 22.19

---

2.9 catholice ecclesie C
3.2 obuiauerunt MTLO, -uernt B, ut uid.
7 inuisibile e
10 panem profert] proferens scr. L et sic proferens panem transp.
13 subsidium corporalis O
14 ex quo] et quod O Hoc] hec L et post facite add. O

commemorationem, Hec est caro mea et hic est sanguis meus; quotienscumque his uerbis et hac fide actum est, panis iste substantialis et calix benedictione sollempni sacratus ad totius
PL 1643 hominis uitam salutemque proficit, simul medicamentum et holocaustum ad sanandas infirmitates et purgandas iniquitates existens.

(4) Manifestata est etiam spiritalis et corporalis cibi distantia: aliud fuisse quod prius est appositum et consumptum, aliud quod a magistro datum est et distributum. Quamdiu cibi illi qui ad diem festum erant parati a conuescentibus apostolis sumebantur, ueteris pasche agebatur memoria. Necdum Iudas ad ueterem uitam pertinens diabolo inuadente et occupante animum eius egredi cogebatur. Sed ubi sacrum cibum mens perfida tetigit et sceleratum os panis sanctificatus intrauit, parricidalis

---

14-15 Luc. 22.19; I Cor. 11.24
15 Cf. Ioh. 6.55,57
16-17 Cf. Matth. 6.11
17 I Cor. 10.16 (Vg: benedictionis)

---

3.12-18 sed ante... proficit. Cf. Ambrose, De sacramentis IV.14-V.23; De mysteriis 52 & 54 (ed. B. Botte, SC 25 bis, pp. 108-114, 186, 188). See also Hilary of Poitiers, De Trinitate VIII.14 (PL 10.246-247).
4.7-8 Sed ubi... intrauit. G. Macy, The Theologies of the Eucharist, p. 80 & p. 181, n. 71 with p. 170f., n. 193, notices that it was much debated in the early twelfth century whether Judas actually received Christ's body and blood.

---

15 est$^2$ om. L
16 iste] ille O
4.1 Manifestata est] -ta est superscr. O, Manifesta est L
spiritualis L
6 uitam] hominem O

animus uim tanti sacramenti non sustinens quasi palea de area exsufflatus est et preceps cucurrit ad proditionem et pretium, ad desperationem et laqueum.

(5) Orta fuerat aliquando, sicut in euangelio Iohannis legitur, de nouitate uerbi huius questio et ad doctrinam misterii huius obstupuerant auditores, cum diceret dominus, Nisi manducaueritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Quod quidam, quia non credebant nec poterant intelligere, abierunt retro: quia horrendum eis et nefarium uidebatur uesci carne humana, existimantes hoc eo modo dici, ut carnem eius uel elixam uel assam sectamque membratim edere doceremur, cum illius persone caro, si in frusta partiretur, non omni humano generi posset sufficere, qua semel consumpta uideretur interisse religio, cui nequaquam ulterius uictima superesset. Sed in cogitationibus huiusmodi caro et sanguis non prodest quicquam, quia sicut ipse magister exposuit,

---

4.5-11 See Ioh. 13.26-30
5.3-5 Ioh. 6.54
5-6 See Ioh. 6.67

---

5.7-9 existimantes... doceremur. Cf. Peter the Venerable, Contra Petrobrusianos 205.20-22 (ed. Fearns, CCCM X, p. 122).
9-10 See ibid., 171.3-5 (ed. Fearns, CCCM X, p. 101)

---

5.1 Hic capitulum nouum cum titulo De carne christi incip. CB, littera prima et elaborate rubricata sicut] ut O
4 carnem filii hominis om. O
5 quidem O
6-7 uidebatur post horrendum transp. B
9 docerentur e frusta] -tra LB (ille cum omnibus litteris internalibus in ras.), ex -tra fort. corr. M
12 -modi om. L

uerba hec spiritus et uita sunt nec carnalis sensus ad intellectum tante profunditatis penetrat, nisi fides accedat.

(6) Hoc sacramentum aliquando carnem et sanguinem, aliquando panem, aliquando corpus suum Christus appellat. Panis dicitur propter nutrimentum uite, caro et sanguis propter ueritatem nature, corpus propter unitatem substantie. Corpus suum se et ecclesiam suam, cuius caput ipse est, intelligi uoluit, quam carnis et sanguinis sui communione uniuit. Et nos quidem, cum

---

12-14 Ioh. 6.64
14-15 Cf. Ioh. 6.65
6.1 See Ioh. 6.55,57
1-2 See Ioh. 6.32-33, 35, 51-52, 59
2 See Matth. 26.26; Marc. 14.22; Luc. 22.19; I Cor. 11.24
5 See Eph. 1.22; Col. 1.18

---

6.1-6 Hoc... uniuit] Hic alia mut., alia add. e et sqq. exhib. Panis est esca sanguis vita: caro substantia: corpus ecclesia. Corpus propter membrorum in vnum conuenientiam. Panis propter nutrimenti congruentiam. Sanguis propter viuificationis efficientiam. Caro propter assumpte humanitatis proprietatem. Hoc sacramentum aliquando corpus suum: aliquando carnem et sanguinem: aliquando panem christus appellat portionem vite eterne cuius secundum hec visibilia corporali communicauit nature. Panis iste communis in carnem et sanguinem mutatus procurat vitam et incrementum corporibus: ideoque ex consueto rerum effectu fidei nostre adiuta infirmitas sensibili argumento edocta est visibilibus sacramentis inesse vite eterne effectum. et non tam corporali quam spirituali transitione christo nos vniri. Ipse enim et panis et caro et sanguis idem cibus et substantia et vita factus est ecclesie sue quam corpus suum appellat dans ei participationem spiritus. Hic et notatur quod illa uerba Hoc... uoluit (supra 6.1-5) linea undata i.m. insigniuit P. Idem locum in L linea subnotauit recentior manus. V. supra, p. 33 sq.
2 Christus om. L
5 De fol. 97$^{r}$ usque ad fol. 99$^{r}$, inter duo locos breues huius tractatus (quam carnis... conuenirent, i.e. 6.5-11, et Perpes est hoc sacrificium, i.e. 16.1) ibi iteratos, disputationem fort. alienam de praesentia Christi eucharistica, penitus seorsum ab hoc Ernaldi opere, exhib. P. Domnus Iohannes Leclercq hanc disputationem retractationem Ernaldi esse retur. V. supra, p. 5. V. infra et notas in 8.5-20 & 15.6-12.
5-6 quam...nos fort. in ras. alia manu P

caro essemus et sanguis, corrupta et infirma corporis animeque natura reformari non poteramus neque ad similitudinem dei reuerti, nisi morbo inueterato imponeretur malagma conueniens et in curatione desperate infirmitatis contraria remouerentur contrariis et similia similibus conuenirent.

PL 1644 (7) Panis iste, quem dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi factus est caro et sicut in persona Christi humanitas uidebatur et latebat diuinitas, ita sacramento uisibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta deuotio et ad ueritatem, cuius corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus "usque ad participationem Spiritus", non quod usque ad consubstantialitatem, sed usque ad societatem germanissimam hec

---

8 See Gen. 1.26
7.2 See Ioh. 1.14
6 Cf. Ioh. 14.6
8 Cf. I Cor. 1.9; I Ioh. 1.3

---

6.10-11 contraria... conuenirent. Cf. Augustine, De doctrina christiana I.xiv.13, ll. 6-14 (ed. J. Martin, CCSL XXXII, p. 13f.); Isidore of Seville, Etymologiae IV.ix.5-7 (Lindsay, ed., OCT, no pagination). See also above, II.2.9.
7.1-7 Panis... Spiritus. Cf. Arnold, De vii verbis Domini in cruce VI (PL 189.1714C-1715A)
1-2 non effigie... mutatus. Cf. Ambrose, De sacramentis IV.17-18; De mysteriis IX. 50-53 (ed. B. Botte, SC 25 bis, pp. 110,112,184-188); Boethius, Contra Eutychen I (LCL, pp. 76-80). See also Arnold, De vii verbis Domini in cruce VI (PL 189.1714D-1715A).
7 usque ad... Spiritus. Augustine, Tractatus in Iohannis euangelium XVII.11.13-14 (ed. R. Willems, CCSL XXXVI, p. 276).

---

7.1 dominus] deus L
3 uidebatur humanitas L
8 christi post consubstantialitatem add. e eius post germanissimam add. e